


DE BAPTISMATE IN SPIRITU SANCTO ET IGNI COMMENTARIUS.

CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE

BAPTISMATE

IN SPIRITU SANCTO ET IGNI


COMMENTARIUS

SACER PHILOLOGICO-CRITICUS;

CUI ACCEDUNT EJUSDEM AUCTORIS

ORATIONES DUÆ

IN ATHENÆO FERRARIENSI HABITÆ.





MEDIOLANI, MDCCLII.

IN REGIA CURIA.


Superiorum permissu.

REV.MO ET AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO FRANCISCO TEPSL

CANONIÆ CELEBERRIMÆ ET ANTIQUISSIMÆ
ORD. CANON. REGUL. S. AUGUSTINI POLLINGÆ IN BAJOARIA
PRÆPOSITO, ET ABBATI LATERANENSI &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.



Irtutum tuarum fama, & amplitudo nominis tui cum Germaniæ fines excesserit, me non semel ad officium illud excitavit, quod ab amatoribus literarum adhiberi solet in Patronos ac Viros amplissimos, atque animo destinaveram ingenioli mei fœtum ali-

quem

quem Reverendissimæ ac Amplissimæ Dominationi Tuæ dedicare in obsequii signum, quo Clarissimo Nomini Tuo sum inter Italos addictus; at cum Sacris Te studiis delectari optime sciam, neque similibus opellam hanc meam esse parem ultro fatear, ne sacra illotis, ut ajunt, manibus tetigisse me velle merito viderer, ac doctrinæ tuæ munus indignum offerrem, hæsi diu opportunam expectans occasionem, qua desiderium hoc meum concinnitate, qua decet, implere possem; sed, juvante fortuna, nuper a doctissimo, & piissimo Viro munus accepi Reverendissimæ, atque Amplissimæ Dominationis Tuæ apprime dignum: *Dissertationem*, dico, *de Baptismate in Spiritu Sancto & igni*, quam suasore me, *Rev. P. Castus Innocens Ansaldus* ex Dominicana familia publicam in lucem edit, post alias plures, quibus Vir Orientalium linguarum peritissimus, & in Theologicis quæstionibus exercitatus ingen-

tem

tem ſibi famam comparavit. Erit ex officio meo utrique quod placeat: Reverendiſſimæ, atque Ampliſſimæ Dominationi Tuæ gravitas argumenti, & hominis doctrina, quam probe noſces; Anſaldo vero Diſſertationis Auctori amplitudo, atque auctoritas tanti Patroni, quæ ſint uſui futura; cum enim in ea Diſſertatione plura cum Acatholicis diſceptaverit, erit ab Illuſtre Nomine tuo adverſus detractores, ſi qui erunt futuri, maximum præſidium; noverunt enim Te omnes, quo zelo rapiaris, & ferveas in Religione tuenda, totiſque viribus incumbas incremento doctrinarum apud Tuos, quo ſint in Bajoaria veſtra veluti lampades ardentes ad veritatem indicandam, eamque in partes omnes diffundendam. Hinc eſt, quod ob eximias animi tui dotes frequentibus ſuffragiis nuper in ordinem Statuum Provincialium, ut vocant, Bajoariæ fueris allectus, majoribus etiam dignitatibus, ut precor a Superis, aliquando cumu-

lan-

landus ob Ordinis tui amorem, quo Patriæ non exigua emolumenta promittis. Ad hæc accedunt Pollingani Monasterii tui antiquitas veneranda, & Christianæ Religionis apud indigenas institutio. Sanctitas item loci ob cultum sacræ imaginis Jesu Christi Crucifixi tempore Iconoclastarum sub Thassilone Duce Bajoariæ indicio Cervæ monstratam, ac effossam, quæ forte Seculo V. vel VI. ineuntibus, eas terras Barbaris Idololatris occupantibus, in subterranea crypta fuerat absconsa. Repræsentat ea, ut probe novimus, Christum in cruce morientem, quatuor clavis, utrisque nempe manibus, & pedibus cruci affixis, oblongo velo circa femora tectum, & suppedaneo insistentem, eadem prorsus forma, qua nos in Italia nostra imaginem alteram apud Lauretanas ædes in loco Sciroli veneramur. Præterea satis ab Ecclesiastica historia liquet Pollinganum istud celebratissimum Monasterium varios aliis Monasteriis Antistites dedisse,

ſe, nullos umquam aliunde accepiſſe, quod firmo ſatis eſt indicio Regularis frequentiæ, atque optimæ inſtitutionis in eo vel antiquiſſimis temporibus habitæ, quæ fuerunt in cauſa ut S. Henricus Imp. cum tempore devaſtationis Hunnicæ bona Monaſterii per vim occupata, vel militibus in beneficium conceſſa noviſſet, non pauca famulis Dei iſthic ſervientibus anno MX. reſtituerit. Quod ſi retexere velim quæ de præſtantia, vel antiquitate Ordinis Canonicorum Regularium a Panvinio viro doctiſſimo, aliiſque centum memoriæ immortali tradita ſunt, non epiſtolæ ſolum, ſed officii modum excederem: ſatis igitur erit memoraſſe de Pollingano Monaſterio pauca, Religioſam nempe gravitatem, eo in loco ſtudioſiſſime cuſtoditam, ob quam factum eſt, ut ad altiora tendentes majores veſtri ad perfectiora ſemper anhelarint, a Regula videlicet Aquiſgranenſi, quam Seculo IX. & X. receperant ad Auguſtinianam, tempo-

rum varietate opportunis Constitutionibus auctam, atque firmatam. Neque defuit Scientiarum omnium cultus, quem probant locupletissimus MSS.torum Codd. apparatus, plura venerandæ antiquitatis fragmenta, & copia ingens librorum selectissimorum, quibus Pollinganum Monasterium insignitur, quæque fuerunt in caussa ut celebris Catholicæ veritatis assertor Eckius anno 1521., peste Inglostadii sæviente, ad illud confugerit, in Canonicos nempe tuos, fama, & amore allectus, prout ipse publico monumento testatus est; ibique scripsit librum de Purgatorio contra Lutherum, & Indicem in Lexicon Hebraicum Capnionis, & varias exercitationes hebraicas adhuc ineditas exaravit; eoque tempore Serenissimus ipse Bajoariæ Dux Principem hæredem suum non alteri, quam Canoniæ Pollinganæ bonis artibus, ac elementis Fidei nostræ instituendum commisit. Sed longe præstantior est Catholicæ Religionis zelus, quo Pollinganum Monaste-

sterium schola veritatis, & propugnaculum inter Germanos temporibus omnibus factum est; nam cum tota ferme Germania sub Impp. Henricis schismate a Romana Ecclesia discessisset; ac deinde Basileensis Concilii tempore membris a capite divulsis, hac, & illac erroribus traheretur, Monasterium Pollinganum numquam a Communione Romanæ Sedis, cui firmiter adhæsit, vel errore labefactatum, vel timore concussum, ne minimum quidem divelli potuit: Hinc etiam cum Hæretici anno 1523. & 1524. turbatis ubique rebus per totam Germaniam armis grassarentur, & Ecclesias ac Monasteria furore perciti solo subverterent, & jam Lycum transgressi in Bajoaria Superiore castra ponerent, Pollingæ Ducalis Exercitus, qui Catholicos tuebatur, firmissimam Sedem invênit, Hæreticis vero sacer locus, non sine Divini Numinis auspicio, factus est furoris limes, & arx inexpugnabilis. Pulcra quidem sunt hæc & memoranda, quæ

Monaſterium Pollinganum ubique Gentium prædicant in hiſtoria, Tibique Præſidi optimo etiam honori cedunt, maxime ſi perpetuam literarum gloriam repetere velim, quæ floruit inter Pollinganos tuos. Innumeros ferme illuſtres viros ciere poſſem, ſed paucorum nomina multorum inſtar ſint futura, B. ſcilicet Harctmanni Epiſcopi Brixienſis, & ejus Capellani Cunradi, qui apud noſtros famam virtutum ac doctrinæ numquam intermorituram ſibi compararunt, Gerhohi XII. Seculi celebratiſſimi Scriptoris, Oſwaldi Meſſing Canoniſtæ in Cathedrali Saliſburgenſi Seculo XV. ex Canonia Pollingana poſtulati; æquat tamen, ne nimius ſim, veterum doctrinam ætate noſtra Clariſs. Vir D. Euſebius Amort, qui ab editis pluribus libris, literatis omnibus viris commendatiſſimus, opere ſuo noviſſimo Ecleticæ Theologiæ, quod circumfertur, expectationem omnium merito ſuperavit, ac debitis encomiis apud Italos etiam cumulatur.

Quæ

Quæ hactenus de Pollingano Monaſterio memoravi modeſtiam tuam, Abbas Reverendiſſime, atque Ampliſſime, offendere non poſſe certo ſcio, quamobrem vides quam religioſe datam legem obſervaverim, ne in tuas laudes excurram; ſed quæ publici ferme juris facta ſunt negare non potes, doctrinam nempe Tuam, ac religioſam Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritatem, quibus humanitatem, & morum candorem conjunxiſti, unde cariſſimus omnibus factus es, ac non minus inter tuos, quam inter alienos prædicaris. Hæc tamen quis non fecerit pluris, quam cetera perſonæ ornamenta, quæ magis a fortuna ſunt, quam ab hominis ingenio, quod unice prædicandum. Doctiſſimus itaque cum ſis, librum ſiſto tuis a ſtudiis non alienum, & cum Eccleſiaſticas antiquitates colas aſſidue, amiciſſimi Auctoris peritiam abunde commendabis, quo Tibi gratiſſimus impoſterum ſit futurus. Cum vero virtutes omnes Tuas humanitate corones, offi-

cii

cii mei rationem comperies in exhibendo munere, ut nempe ſcias quale ſit obſequii mei fervor, quantoque deſiderio Te Patronum acclamabo, ſi, ut enixe precor, grato animo & munus, & me Tui amantiſſimum in clientelam accipies. Vale.

Dabam Mediol. x. Kal. Apr. MDCCLII.

V. C L.

PHILIPPO ARGELATO BONONIENSI

CASTUS INNOCENS ANSALDUS ORD. PRÆD.
S. P. D.

E*A est humanissimarum literarum tuarum vis ac potestas, &, si placet, auctoritas, ut ne minimum quidem Tibi V. Cl. negare me posse in dies cognoscam experimento; tot enim urges argumentis, ut ad scribendum vel invitum impellas, & manum adhibens adjutricem obstetricari noveris cum ingenii fœtus est expectandus. En ergo* Dissertationem *alteram accipe* de Baptismate in Spiritu Sancto & igni, *gravissimi quidem argumenti, &, ni fallor, non inutilem adversus Acatholicorum errores. Novus hic ingenii fœtus, qui Dissertationem alteram de Martyribus sine Sanguine per hos dies excepit, suasore te in lucem prodit*

dit, ac tuum est ne informis appareat, cum in ulnas acceperis; plura ad te scribere non vacat: consilium namque meam satis cognoveris a Præfatione, unde initium habet Dissertatio nostra, & amicitiæ tuæ, quæ reliqua sunt optime commendata non dubito. Rescribes enim, qua sorte in publicum doctorum hominum theatrum venerit, liberè namque scribo quod sentio: judicio tuo non satis me fidere posse timeo, non ob ingenii præstantiam, qua polles, at ob amoris excessum, quo me plurimi facis & mea; sed ne videar ingratus, me neminem tui amantiorem certo scias velim, & assiduo re ipsa comperies. Vale.

Dabam Brixiæ, pridie Kal. Jan. MDCCXLIX.

OPERIS ARGUMENTUM.

PRæparaturus viam Domino Johannes Christi Præco suum Baptismate aquæ auspicatur ministerium; quod quum noscent Pharisæi, miserunt qui ab ipso sciscitarentur, num Elias fortasse esset ipse, aut etiam Messias, qui novam scilicet inducere auderet Baptismi formam? Negavit se aut Thesbitem esse Eliam Johannes, aut Messiam ipsum; sed hominem se esse fassus est minime cum Messia conferendum; ea videlicet de caussa, quod quem ipse præstabat Baptismus solum perficeretur aqua in pœnitentiam; Messias contra baptizaturus eos esset *in Spiritu Sancto, & igni*. Quodnam foret ejusmodi Baptisma in Sancto Spiritu & igni enarrare fategerunt omnes Exegetici, editisque hoc de argumento Elucubrationibus nonnulli. Imperviam quæstionem verba *& igni* effecerunt; quæ quidem ad veram pertinere Lectionem demonstramus. Fuere qui in eisdem purgatorium aut infernalem ignem sibi videre visi sunt: fuere, qui ea retulerunt ad afflictationes piis heic immissas. Alii Oraculum Baptistæ de Linguis igneis, quæ super Apostolos die Pentecostes sacro descenderunt, interpretati sunt: nonnulli de Martyrii Baptismate. Aliqui de Hierosolymitano bello & excidio; plurimi de ignea veluti Paracliti Spiritus vi & efficacia, eadem a Johanne pronunciata docuerunt; sive ex analogia vim inter Gratiæ & qualitates ignis; sive metaphora sumpta ex æstivo meridiano euro apud Palæstinos eluente & expurgante, sive allusione facta ad hostilium expiationes spoliorum aqua & igni olim præcepto Numinis

c per-

peractas ; nec defuere demum qui docuerint portendisse tunc Johannem extremam Mundi exustionem , sive renovationem Orbis igni conficiendam , juxta scita Stoicorum . Hujusmodi vero Exegeses minus idoneas esse in loco dum ostendimus , aut eorum aliquas non e suo fonte derivatas ; non Judaica tantum ex phrasi , quam ex scopo , mente , & intuitu loquentium , ex adjectis , exque opinionibus & præconceptis Judæorum , præsertim vero ex eorum Traditionibus , difficultatem enodandam remur . Receptissima porro apud Circumcisos Traditio ætate illa erat, Eliam Thesbitem fore ante Messiam venturum, non ex metempsychosi quidem, sed , ut ajebant , personaliter , & restituturum in antiquum statum omnia, quæ in Æde Zorobabelica desiderabantur , quæque prioris gloriam Templi honestaverant; ignem præcipue cælitus descendentem ad consumenda Altaris holocausta ; Majestaticam Numinis in nube lucida præsentiam ; Prophetiæ & miraculorum dona , quæ *Spiritum Sanctum* appellabant ; cetera demum , quibus ab Elia Messiæ veluti Æditiuo componenda Ecclesia erat in statum Messia Rege Victore & triumphatore dignum . Postquam igitur de hujusce Traditionis origine disseruimus , deque donis illis ante Captivitatem Babylonicam apud Judæos frequentissimis ; de ratione etiam, qua ea restitutum iri ab Elia imaginabantur Circumcisi, pergimus evincere , nil aliud innuere Johannem responso voluisse suo , quam , non ab Elia , uti Judæi præconceperant , sed a Messia ipso mox adventuro expectandam veterum Charismatum restitutionem ; eumque , qui post se mox venturus erat , sacris illis Phænomenis , donisque miraculorum & Prophetiæ, Ecclesiam consecraturum . Consecrationem & initiationem ejusmodi *Baptismum in Spiritu Sancto & igni* jure ac merito Johannes appellavit ; ut enim

enim veteres Hebræi in Moysen baptizati fuisse dicebantur ab Apostolo in nube & in mari, ob nubem Israëliticis castris præeuntem, & trajectum maris Idumæi, quæ signa fuerunt cum divinæ Legationis Moysis, tum etiam fœderis Deum inter & populum ministerio Moysis initi: ita qui credituri erant Judæi, baptizandi a Christo dicebantur *in Spiritu Sancto & igni*, sive consecrandi initiandique donis & Charismatibus prioris Templi restitutis, quod ejusmodi restitutio certissimum futura fuisset signum, tum divinæ Legationis Christi, tum fœderis etiam Deum inter & homines in Christum instituendi. Quamvis enim post Messiæ adventum antiquanda essent Legalia Judæorum sacrificia, Templumque ipsum evertendum esset penitus, neque amplius prophetandum esset de Messia, completis ejus adventu Prophetarum Vaticiniis; quum Judæorum in gentem tamen inducenda nova Œconomia esset, suadendumque eisdem foret in veteri insitam inoculatamque eam esse; quumque nexus duo inter Fœdera intercedens alta eorum esset mente reponendus, nec nisi post Redemptoris Ascensionem in cælum honesto funeri danda esset vetus dispensatio; factum inde, ut se se ad imbecillitatem Judæorum clementissime temperaturus Deus, per quædam emblemata & signa, per sacra quædam Phænomena & Symbola prodigiis & meteoris Patriarcharum ætatis & Templi Salomonici simillima, Messiam advenisse confirmaret; quare consequi Judæi possent, ii præsertim qui in Traditionum complemento toti erant, Expectatum jam venisse, quod fuissent præstantiore restaurata modo nobiliora Charismata & Symbola, quæ post Captivitatem Babylonicam ablata sibi querebantur. Sane si negasset Christi Præco, vetera dona eo restituenda fuisse modo, quo in Æde fulgebant Salomonis, Pharisæos efferasset, dum hi actum

de communi Gentis ſpe receptiſque de Traditionibus eſſe ſtatim timuiſſent : nullam tum agere voluiſſent pœnitentiam , non Prodromum audire , non ejus Baptiſmate initiari , neque ſternere viam Domino Johannes potuiſſet ; qui quum Numinis Propheta eſſet , exque antiquorum noſſet fide Oraculorum , ampliora & nobiliora Chariſmata , inſtar eorum etiam , quæ ſtante priore Templo in Iſraële viſebantur , fore in adventu & Legatione Meſſiæ conſpicienda , Judæorum animos iccirco mulcere voluit ſpe mox futuræ Conſecrationis *in Spiritu Sancto & igni* , ſive proximæ reſtaurationis hujuſmodi Chariſmatum ; quo nempe reſponſo ſpem , quam conceperant , Judæorum in animis fovebat , reformabatque pro temporis & loci conditione Traditionem illam , verum eam ad ſenſum veramque ad intelligentiam revocabat una , & veritati conſulebat ſapientiſſime . Fuerunt reapſe in adventu Chriſti vetera, quæ deſiderabantur, dona reſtituta ; Claritas ſiquidem Dei , quæ beata nocte , qua Chriſtus ortus eſt , circumfulſit Paſtores , inſtar Gloriæ Domini in nube candeſcenti & lucida adparuit ; ejuſdemque ſacri inſtar Phænomeni viſa Stella Magos ducens Bethleemum . Deſcendit æque nubes coruſca & lucida dum baptizaretur in Jordane Chriſtus, ejuſque adparitione eodem veluti, quo Aaron pacto, initiatus & conſecratus in Sacerdotale fuit & Propheticum officium . Adparuit eadem nubes Gloriæ in monte Ithabyrio dum transfiguratus eſt Meſſias ; eaque adparitio in monte Ithabyrio cum adparitione Gloriæ Domini in vertice Sinai confertur . Viſa & Gloria Domini in Martyrio Stephani , uti & in Converſione Paulli ; nec ſemel, ſed iterum, conſpicuo modo glorificatus eſt Chriſtus . Sacer ignis cum nube lucida ſuper Apoſtolos ceteroſque Credentes de cælo venit die Pentecoſtes ſacro ; quare facta Apoſtolicæ Eccleſiæ de-

dedicatio uti olim dedicatio Templi Salomonis ; eaque ratione exardescere tunc visus sacer ignis qua dum consumebat Altaris holocausta ; sed & frequens ætate illa cælestes flammulæ super eos, qui Christo nomen dabant , descenderunt cælitus , uti super Ephesios Johannis Discipulos , & super Cornelium Sociosque . Sacra hæc Lumina cum phænomenis Veteris Testamenti Sanctos Patres olim contulisse animadvertimus . Restitutum fuit quoque in Scriptoribus Novi Testamenti , ceu integris sensibus Divino Numine adflatis , nobilius Prophetiæ genus , quod Judæi appellabant *Spiritum Sanctum* ; uti & restaurata fuere futurorum Vaticinia & miraculorum dona , quæ diutius quam cælestia meteora perseveraverunt , quod illa Ethnicis quoque in Ecclesiam inducendis essent data ; Phænomena vero sacra , ceu præludia quædam & diluculare modo lumen , ad primitias Credentium ex Circumcisione pertinerent . Hinc quod restituta fuerint illa dona , completaque promissionis eorum Vaticinia , adversus recentissimum Scriptorem , qui *Millenariorum* errorem e tenebris educere & propugnare conatus est , ea jam adhuc non esse expectanda post conflagrationem Orbis , jure consequi videmur ; neque iccirco futuram , uti imaginatur , Restitutionem Judæorum in milleni Messiæ in terris Regno . Christus enim , qui ea omnia restituit , verus fuit quem Oracula portenderant Elias , ratione præsertim miraculorum , quorum nullum a Johanne factum testantur Sacræ Literæ ; quare Baptismo Christi suum ipse opponeret Baptisma , ministerium aquæ scilicet , consecrationi Apostolicæ Ecclesiæ tot conspicuis signis a Christo peragendæ . Verus fuit denique Elias , quod non auspicati modo , sed , ut Propheta olim , ultoris etiam esset devocator ignis ; id nempe verba innuerant confestim a Johanne suo in Oraculo adjecta ,

cta, quo Venturum post se, non baptizaturum modo portendit in Sancto Spiritu & igni ; videlicet, suam non modo consecraturum veteribus Phænomenis & sacris Charismatibus Ecclesiam; sed permundaturum quoque aream , congregaturum triticum in horreum, & combusturum paleas igni inextinguibili ; id namque Messias revera præstitit , dum Romanorum armis perdidit , delevit , incenditque Urbem & Templum Hierosolymorum igni ; Eliæ profecto Thesbitis instar , qui non modo incendere fecit cælitus quod coram Sacerdotibus Baalis paraverat ipse sacrificium , sed ultorem etiam adversus Ochoziæ Duces atque milites cælo devocavit ignem. Etsi vero Messias adventu suo ingens , commune , amplum , perpetuum collaturus erat Credituris beneficium ; in ea tamen sententia , pro Magistrorum scitis , non versabantur Discipuli Johannis ceterique Circumcisi, qui vel post Messiæ adventum hebraica adhuc in Œconomia agere se debere existimabant ; quare post etiam Adscensionem Christi in cælum , postque accepta Spiritus Paracliti charismata , orta inter Credentes de cæremoniis , deque præceptis Mosaicis dissidia; prodigioque opus fuerit , sacris nempe ipsis Phænomenis super adhuc non baptizatos adparentibus , quare dignosceret vel Apostolorum Princeps, non esse acceptatorem personarum Deum , Gentesque in Ecclesiam esse recipiendas . Tanta vero lux , tantique promissio beneficii non decebat tempora Johannis , sed spes restitutionis potius sacrorum Symbolorum , quæ in Messiæ adventu , pro receptissima Traditione, expectabantur . Sed inficiari nemo etiam poterit , specialissima fuisse Ecclesiæ Apostolicæ charismata ; neque majus aut excellentius imaginari potuisse vulgares Recutitos beneficium , aut apertum & testatum magis adventus Messiæ signum & indicium , restitutione illa cælestium

me-

meteororum & Charifmatum , quæ priorem Ædem illuftraverant . Ad reftaurationem illam igitur refpexiffe , eamdemque portendiffe dicimus Johannem ; eam fuiffe Baptifmum *in Spiritu Sancto & igni* ; eamdem perfectiore modo Apoftolica eveniffe in Ecclefia ; ortos ex ea demum arcanos magis & myfteriis uberiores Evangeliftarum & Apoftolorum dicendi modos demonftramus . Sed & Objecta , quæ adverfus interpretationem noftram imaginari quis poffet , enodantur facile ; & plurium errores corriguntur ; plura animadvertuntur obiter , præfertim de lucidis Phænomenis ad Religionem Ethnicorum pertinentibus ; nonnulla denique illuftrantur ad præcipuum fpectantia hujufce Commentarii argumentum .

NOS

NOS FR. ANTONINUS BREMOND
Sacræ Theologiæ Professor,
AC UNIVERSI PRÆDICATORUM ORDINIS HUMILIS
MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS.

QUum, ut nobis exponitur, Rev. P. L. F. Castus Innocens Ansaldi Provinciæ nostræ Utriusque Lombardiæ Opus, cui titulus: *De Baptismate in Spiritu Sancto & igni Commentarius*, composuerit, illudque prælo subjicere desideret; Nos, harum serie, nostrique authoritate officii, quantum in nobis est, & servatis alias servandis, paterne indulgemus; dummodo a RR. PP. F. Thoma Scala Sac. Theol. Lectore Primario, & F. Thoma Vajo ejusdem Sac. Theol. Lectore præfatæ nostræ Provinciæ luce dignum judicetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in nostro Conventu S. Mariæ super Minervam die 15. Junii 1749.

FR. ANTONINUS BREMOND
Magister Ordinis.

Loc. ✠ Sigil.

Registr. pag. 2.
Fr. Joseph Thomas Tavella
Magister, & Pro-Socius.

JUſſu Reverendiſs. P. Antonini Bremond Magiſtri Generalis perlegi Commentarium *De Baptiſmate in Spiritu Sancto & igni*, ab Adm. R. P. F. Caſto Innocente Anſaldo Sacrarum Scripturarum Profeſſore compoſitum; nihilque in eo offendi, quod ſanam doctrinam non ſapiat, nihil quod ſingularem eruditionem non redoleat; quare Opus iſtud digniſſimum cenſeo, quod luce publica donetur.

Brixiæ in Cœnobio S. P. Dominici
Die 9. Septembris 1749.

Fr. Joſeph Thomas Scala Ord. Præd.
in eodem Cœnobio Sac. Theol.
Lector Primus.

OBtemperaturus Reverendiſs. P. Magiſtro Generali, legi Commentarium *De Baptiſmate in Spiritu Sancto & igni* ab Adm. R. P. L. Caſto Innocente Anſaldi elaboratum; tantumque abeſt, ut in eo aliquid caſtigatione dignum repererim, quin potius religioſiſſimi Auctoris ingenium & eruditionem demiratus, eundem judico, ſi typis mandetur, Chriſtianæ rei profuturum. Ita eſt

Fr. Thomas Ignatius Vaj Ord. Præd.
in Brixiano Cœnobio Lector Sac.
Theol. Moralis.

DE Mandato Reverendiss. P. S. Theol. Mag. P. Hermenegildi Todeschini in toto Mediolanensi Dominio adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoris perlegi Opus MS., cui titulus = *Casti Innocentis Ansaldi Ord. Præd. de Baptismate in Spiritu Sancto & igni Commentarius Sacer Philologico-Criticus* = illudque haud sine ingenti animi voluptate perlegi. Notissimus sanè jam est toti Eruditorum Reipublicæ Clarissimus Scriptor; futurum tamen confido, ut novo hoc ingenii sui fœtu doctorum Virorum expectationem ipsam longè superasse videatur. Cæterùm omnia cùm hìc scripta cum veræ Pietatis & Fidei norma consentiant, dignissimum Opus censeo quod Typis tradatur, si tamen &c. In quorum testimonium has dabam Mediol. ex Ambrosiana Bibliotheca Idib. Martiis Anno Jubilæi MDCCL.

Canonicus Joannes Andreas Iricus,
Ambrosiani Collegii Doctor,
Librorum Censor & Qualificator.

Die 22. Martii 1750.

Attenta supradicta approbatione

IMPRIMATUR.

Fr. Hermenegildus Todeschini S. Theol. Magister, Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Generalis Mediolani.

Franciscus Curionus Archipresbyter S. Eusebii pro Eminentiss. & Reverendiss. D. D. Card. Archiepiscopo.

Vidit Julius Cæsar Bersanus pro Excellentissimo Senatu.

IN-

XIV

INDEX CAPITUM.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CA-

CAPUT V.

CAPUT VI.

egregie confertur. Restitutionis illorum donorum decentia & veluti necessitas ostenditur.

CAPUT VII.

Commentum Burnetii de milleni Christi & Justorum in terris regno, deque futura restauratione Judæorum, quantum quantum est, innixum promissioni restitutionis veterum Charismatum, sive donorum prioris Templi; erutumque ex promissione Eliæ, ceu personaliter venturi ante Christum: quæ omnia futura conflagrato Orbe imaginatur. Quanam ratione, ejus opinione, adpariturus tunc Messias; nempe instar Nubis Gloriæ. Ex promissione etiam effusionis Sancti Spiritus, quam nondum completam adseruit, Millenariorum errorem propugnavit. Falli Burnetium ostendimus, non ex prophetico tantum Scripturarum dicendi modo, sed ob jam restituta dona Ædis Salomonis, completaque ob Oracula, quæ in adventu Messiæ restauratum iri vetera Charismata spondebant.

CAPUT VIII.

Adparitio Gloriæ Domini in ortu Christi: inde ortæ nonnullæ Latinorum multiplici de Sole aut luce tunc temporis visa narrationes. Veterum in id testimonia Scriptorum in medium producuntur. Illustrantur plura sacrarum Scripturarum loca, verba præsertim Evangelii Johannis I. 14. quæ Judæos respexisse ostendimus expectantes restitutionem donorum Templi Salomonis. Nonnullæ voces Biblicæ stylo & sensu vere Biblico explicatæ.

Schoet-

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

cula

cula Chaldaica allegantur. De lucidis Phænomenis agitur, quæ apud Ethnicos circumferebantur. Fæditus perperam differens contra Grotium & Clericum. Oudendorpius, Canterus, & Ursinus allegati. Ex imperfecta corruptaque Patriarcharum, vetustissimorumque Traditione temporum, ortam, uti ceterorum portentorum, ita præsentiæ Numinum igneis in phænomenis, aut per phænomena, heroicis temporibus, opinionem. Taubmannus & Reiskius ejusmodi origini suffragantur. Egregius Gregorii Nazianzeni locus, quo sacra meteora in Christi adventu visa cum iis confert, quæ veterem Œconomiam illustrarunt. pag. 140

CAPUT XIII.

De ceteris donis prioris Templi differitur, de igne videlicet cælitus descendente, deque Prophetico Spiritu & miraculorum dono in Messiæ adventu restitutis. Die Pentecostes sacro Apostoli & Discipuli linguis igneis baptizati. Quid Linguæ illæ. Dedicatio Ecclesiæ Christianæ eodem perpetrata modo, quo dedicatio Templi Salomonis. Testimonium Cyrilli Hierosolymitani. In quo a nobis vulgares differant Interpretes. Marchius notatur. Enarratur locus Evangelii Johannis Cap. XII. Soleichtius personatus & Lackemacherus a Verpoortenio oppugnati. Lamius laudatus. Bengelius & Schoettgenius citati. Non solo Pentecostes die, sed non semel adhuc, iterumque, Spiritus Sanctus conspicuo modo super Credentes & Crediturus Apostolica in Ecclesia effusus. Selectiora ex Actis Apostolorum in rem nostram testimonia. De nobiliore Prophetiæ genere, deque Visionibus olim sacris,

CAPUT XIV.

CA-

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

DE BAPTISMATE
IN SPIRITU SANCTO ET IGNE
COMMENTARIUS.

CAPUT I.

Veterum Recentiorumque interpretationes de Baptismate in Spiritu Sancto & Igne, quarum nonnullæ refelluntur. Vera Lectio Matthæi III. 11. Millius laudatus. Marckius & Miegius notati. Prudens Witsii differendi ratio. Exegesis Nonnenii & Deylingii ab Altmanno oppugnata. Burnetii commentum Evangelica trahentis verba ad futuram Mundi exustionem evertitur. Surenhusii methodus formulis & phrasibus Syro-Chaldaicis explicandis quammaxime idonea.

I.

Illud humani generis vitium est, fuitque semper, ut qui meditari perpetuo adsueti essent, exilem inde legendis Libris operam impenderent: contra, qui universum vitæ spatium aliis consulendis consecrarent, cogitationi demum parcerent; nil magis quam aliorum ire vias æmulati. Interpretum hæc præsertim haberetur labes, nisi eos peccantium frequentia absolveret; si quæ enim heinc inde differunt, una animo revolverent, & meditatione sæpesæpius colligerent, aut aliquid effluere inde reperirent, quod retractandum faterentur; aut ex iisdem satius concretis in illas raperentur veritates, quas non meditatis princi-

piis ignorant. Patebit id fane in interpretatione noftra *de Baptifmate in Spiritu Sancto & Igne*, quam, tametfi ab aliorum omnium interpretatione & fyftemate diverfam, non tam ex Evangelica tamen harmonia, quam ex receptis etiam Interpretum præconceptis (quibus ipfi, meditationi & ratiocinio parcentes, ufi non funt) feliciter derivatam elicitamque effe nemo non intelliget.

II.

Ut vero fenfum inquirimus in præfens verborum Johannis Baptiftæ, quæ Matthæus retulit Capite Evangelii III.: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poft me venturus eft, cujus non fum dignus calceamenta portare, ipfe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; ut hocce, inquam, illuftraturi fumus teftimonium, veram ejus Lectionem effe, jure ac merito præconcipiendum eft. Quamvis enim Millius, Prolegomen. 1098. illa, *& igni* adjecta olim fufpicatus effet, exque margine in textum fortaffe irrepfiffe; in Adnotationibus tamen fuis ad allegata Evangeliftæ verba, fententiam mutandam finceriffime decrevit, oppofitam amplexus; actus nempe veterum illa in re confenfione Patrum atque Ecclefiæ Scriptorum; actus confenfione Interpretum Arabici, Perfici, Æthiopici, Coptici, ac Syriaci; vetuftiffimorum actus etiam fide Codicum. Convenit imo cum Matthæo Lucas, qui quum Hiftorias de Chrifti vita elucubratas in examen revocaverit, indicium profecto eft, verba illa *& igni* Apoftolicis in Codicibus Matthæi, eo temporis exftaffe. Apud Marcum quidem & Johannem invenimus modo: *Ipfe baptizabit vos in Spiritu Sancto*; fed interpretationi noftræ minime id officere, oftenfum erit in loco.

III.

III.

Quin & ipsa illa verba *& igni* argumentum & nodum Quæstionis difficillimæ constituunt. Non referam innumeras ea de re opiniones, quarum aliquæ a recto legitimoque loci sensu, atque a loquentis Johannis scopo infinitum abeunt. Quid de Scriptoribus enim illis dicas, qui in *Baptismate in Spiritu Sancto & igni*, purgatorium atque infernalem ignem sibi videre visi sunt? Haud video sane, qua idonea de caussa de purgatorio aut de infernali igne tunc dicere voluerit Johannes; haud video, cur adventum Messiæ significaturus, adventurum eum dicere perrexerit, cujus ope ac potentia transituri forent homines per ignem. Quo nam pacto cogitaturi de Messia fuissent Prodromi Discipuli, & ceteri Judæi, quum non aliud *characteristicum* accepissent ejus a Johanne signum, quàm futuram, nescio quam, post obitum exustionem, aut ablutionem igne peragendam? Quæ Analogia horum cum signis & characteribus Messiæ?

IV.

Alii verba *& igni* ad afflictationum ignem piis heic ad castigationem, vel probationem immissarum; alii ad conspicuum retulerunt Symbolum linguarum ignearum cum Spiritu super Apostolis descendentium die Pentecostes sacro; alii Baptismum ignis, de Martyrii Baptismate interpretati sunt; aliqui Hierosolymitano de Bello atque incendio; aliqui de ignea veluti & vehementiori Spiritus Sancti vi & gratia; aliter etiam nonnulli, quorum interpretationes cum apud Latinos Græcosque Ecclesiæ Patres facile lustrare possumus, tum apud Scriptores præsertim, quos fama obscura recondit, sequiorum nempe Scriptores Seculorum; tum denique apud hodiernos Exegeticos; quare a testimoniis eorum,

quæ notiſſima eſſe debent, in medium producendis abſtineamus operæ pretium eſt.

V.

Inanem hunc laborem ſibi ſumendum duxere Johannes Marckius in *Exercitatione de Baptiſmo in Spiritu Sancto & Igne*, quæ altera earum eſt, quas ad quinque & viginti ſelecta Novi Fœderis loca edidit; & Johannes Fridericus Miegius, in *Diſputatione Theologica de Baptiſmo Flaminis*, quæ Tomo exſtat I. Miſcellaneorum Duisburgenſium Faſc. II. & IV. Uterque ſatius tamen, aut me vehementer fallo, imitatus fuiſſet Hermannum Witſium, qui, Miſcellaneorum Sacrorum Tomo altero Exercitatione XV., quæ eſt de Baptiſtæ Vita, ceterorum hac de re productis in medium, brevi oratione, opinionibus, ſe modo habens inſtar

Apis matinæ,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum,

nulli earum palmam tribuere auſus, liberum cuique atque integrum eligendi quam maluerit reliquit. Quid enim aliud præſtitere demum Miegius & Marckius, niſi vulgatis aliorum oppugnatis opinionibus, ad interpretationem redire tandem, dudum communiſſimam, quæ heic ponit ἓν διὰ δυοῖν; adeoque *Ignis* nomen referre ad promiſſum Sanctum Spiritum, ex analogia ſcilicet inter qualitates ignis, & vim Gratiæ Spiritus Paracliti?

VI.

Metaphoram nonnulli ſumtam voluerunt ex æſtivo meridiano Euro apud Palæſtinos eluente & expurgante. Ita ſane Cl. Nonnenius in Muſeo Bremenſi Tomo I. p. 469. &c., & ſapiens Deylingius, Obſervationum Sacrarum Parte V., ubi de Oraculis typicis

& al-

& allegoricis agit. Quandoquidem enim in Hierichuntino & pratoso Deserto agebat tunc divinus Præco, ipsum Auditores suos, per rerum eo tempore præsentium & visibilium figuras, ad res reconditas & altioris indaginis contemplandas manuducere voluisse, arbitrati sunt. Baptismate igitur in Spiritu Sancto & igni allusisse ipsum docent ad Circium æstivum, qui ventus in Oriente erat supra fidem ardens, & circa caniculam frequenter flabat. Etsi autem, beneficio Euri hujus, palmarum Dactili in Palæstina frequentissimi & fructus ceteri dulcescerent; adhuc tamen effectus eum produxisse animadvertunt valde nocuos. Hanc ob caussam רוח משחית *ventum destruentem* a Jeremia LI. appellatum ajunt; nec non קטב *luem* Psalmo XCI. 6; quam vocem Alexandrini Interpretes verterunt *δαιμόνιον μεσημβρινὸν Dæmonium meridianum*; quod multi veterum Judæorum crederent, eam urentis Euri vim maligno a Dæmone oriri. Hos igitur Euri effectus respexisse Prodromum consequuntur Scriptores allegati, dum portendit ille, Christum Judæos, qui duplici generis, Evangelio videlicet credentes, & immorigeri futuri erant, baptizaturum in Spiritu Sancto & igni, hoc est, ut Isaïæ IV. 4 ברוח בער *Spiritu eluente & expurgante*; sive, *in eluente & expurgante Euro*; quo nempe & vindictam de non credentibus sumendam, & præsertim τὸ *σφοδρὸν τῆς χάριτος vehementiam gratiæ* credentibus impertiendam denotaret; quare Baptistam eâ mihi videntur inducere, aut prope simili metaphora loquentem, qua usus Vates Carminis in Pervigilio Veneris:

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus,
Ipsa surgentes papillas de Favonj spiritu
Urget in notos Penates.

Verum

Verum, ut, adnotante etiam Johanne Georgio Altmanno, in Observationibus Philologico Criticis in hunc Matthæi locum, Exegesis hæc plurimis obnoxia est objectionibus & notis; nisi valde fallimur, majus adhuc aliquid & excellentius merâ allegoriâ & metaphorâ in Præconis Christi Oraculo imaginemur operæ pretium est. Haud negaverim quidem, interpretationibus ejusmodi confirmari, statuique magis discrimen efficaciam inter Baptismi Christi, & virtutem Baptismatis Johannis. Verum, ut libentissime concedimus fuisse in lavacro Christi cælestia illa dona & fluenta gratiæ, quibus carebat cæremonia Baptistæ; nempe, non secus ac

Igniferum ad Solem, speculi cava corpora flammas
Concipiunt: puro qua redit orbe jubar;

ita qui salutaribus aquis Christi rite initiatur

ilicet intus
Corde micans, flammas concipit æthereas;

quod utique Baptistæ lavacro donatis contingere non poterat; qui adhuc tamen nostra evolvet monumenta nullus dubitabit, ad conspicuum emblema aliquod, adque externum aliquod Symbolum, aquæ Symbolo oppositum, promissionem, & Johannis verba esse referenda. Quis non animadvertit enim cum Judæis tunc verba Johannem commutasse; iccirco ad præconceptas alludere tunc ipsum debuisse ab eis opiniones, eorumque ad notiones, quo dignitatem adventuri post se, rite eisdem sponderet atque declararet? Sane egregios tot cum veteres, tum recentiores Exegeticos non recte interpretatos esse *Baptismum in Spiritu Sancto & igni* in caussa videtur esse, quod ad Christianam potius aut Ethnicam ad Eruditionem, quam ad Judaicam hactenus confugerunt; neque ani-

animadverterunt, quæ fuse adeo docuerunt Surenhusius, Præfatione ad Partem I. Mischnæ; Deylingius, Præfatione ad Partem V. Observationum Sacrarum; & Schoettgenius, Præfatione ad Horas Hebraicas & Talmudicas in universum Novum Testamentum, Christum scilicet, & omnes Novi Testamenti Scriptores Judæos fuisse, & cum Judæis conversatos & loquutos esse, illo quidem sermone, illisque loquendi formulis, quæ tunc temporis ab omnibus intellectæ sunt: Dialectum tunc usitatam Syro-Chaldaicam phrases & sententias prætulisse plurimas, quæ a veteri Fœdere plane exulant: non ad Græcos igitur aut ad Latinos Scriptores esse confugiendum, quo formulas præsertim ἅπαξ λεγομένας explicemus, sed ad Judæos ipsos, eorumque maxime ad Traditiones, ad præconcepta, ad notiones, quæ viam sternent difficilioribus Novi Testamenti phrasibus demum enodandis.

VII.

Thomas Burnetius, qui in Systematibus Archæologiæ suæ, & futuræ Restaurationis Judæorum totus erat, Christi Præconis verba ad præconceptas sibi opiniones trahere conatus est. Scribit igitur Capite Tractatus de Statu Mortuorum & Resurgentium VII. *Transeo ad dictum Johannis Baptistæ, qui duplicem Baptismum memorat, Aquæ & Ignis: quemadmodum Veteres dixere purgandum esse mundum duplici modo: Aqua, & Igni: Matth. III.*: „ Ego quidem, *inquit Baptista*, baptizo vos aqua in resipiscentiam. Ipse „ vero qui post me venit, vos baptizabit Spiritu Sancto & Igni.„ *In hoc dicto respici non tantum ad tempora Evangelii, sed etiam ad secundum Christi adventum, ignemque extremum, id quod sequitur argumento esse potest: sequitur enim* „ cujus ventilabrum in manu,... „ triticum coget in horreum, paleam autem exuret igni inextincto.

Bap-

Baptismus dicitur ad Titum III. λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως : *& Renovatio Mundi per ignem dici solet apud Græcos* παλιγγενεσία *&* ἀνακαίνωσις . *Est quidem* λουτρὸν *duplex* , θερμὸν *&* ψυχρόν : *Balneum frigidum est Baptismus aqueus : calidum & siccum ; igneus . Hoc autem illo est efficacius & penetrabilius . Qui aquæ lustrali illam vim concedunt , ut , cooperante Spiritu Sancto , inde regenerentur infantes : eodem operante Spiritu , non minorem vim flammis adfuturam , negare vix poterunt . Descendit Spiritus Sanctus in singulis igneis : qui etiam dicitur Baptismus , acsi typus esset futuri Baptismatis ignei . Diluvium aquæ erat quidam Baptismus mundi : diluvium ignis erit multo magis : purgabit acrius , sordesque eluet efficacius . Et quemadmodum cohibere potest Deus vim flammarum, ut corpora non afficiant ; ut in fornace Babylonica : ita eamdem potest intendere & corroborare, ut animas tangant ; vel potius nova illa corpora, quibus tunc temporis conjungentur*. Ille hucusque , qui suum hoc de argumento cogitatum auctoritatibus Patrum confirmare gessit ; non quidem ut in vulgata versetur opinione de purgatorio aut infernali igne , quam irridet potius & oppugnat ; sed ut Evangelica cum doctrina coire faciat Stoicam de futura Mundi exustione opinionem ; unde ejus inde renovatio, & restauratio Judæorum in milleno Christi Regno .

VIII.

Non pugnabimus nunc quidem adversus Burnetium ex arcanis quibusdam Apostolorum testimoniis Stoicam prope imaginatum Orbis conflagrationem , ceu Sancti illi etiam Viri adventurum putassent id , de quo Balbus Stoicus apud Tullium disserebat , Libro de Natura Deorum II. , scilicet : *ut ad extremum omnis mundus ignesceret , cum , humore consumpto , neque terra ali posset , neque* re-

remearet aër; cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non possit: ita relinqui nihil præter ignem; a quo rursum animante ac Deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur. De hisce, inquam, inpræsentiarum non agemus; quæremus autem modo quî fieri potuerit, ut igneo illo de Baptismate tunc dixerit Johannes; curve ea, quæ ad primum pertinent Messiæ adventum, in Colloquio cum Judæis instituto, cum iis, quæ ad secundum ejusdem Messiæ adventum pertinere, Burnetii opinione debent, confundere voluerit? Nonnulla quidem, post primum, de altero Christi adventu tradi a sacris Scriptoribus oportuit; ast dum prioris adventus signa & indicia, dum venturi mox post se qualitatem dignitatemque significare voluit Baptista, quid opus erat ad ea confugere, quæ in adventu altero evenire debuisse Burnetius arbitratur? Num Orbis deflagratio nexum habet aliquem cum præconceptis Judæorum de Messia, quæ Regem maximum, Bellatoremque felicissimum futurum eo temporis sperabant, & a quo, ejectis Populi Tyrannis, ceteræ subigendæ erant Gentes, ubique Circumcisis pariture? Num renovatio Orbis juxta Stoicorum sententiam, cohæret cum restitutione Regni Israël juxta mentem Judæorum? Quid adsequuti, obsecro, fuissent in Oraculo Johannis qui cum ipso loquebantur, si ipsum, Anchisæ instar, veluti respondisse imaginemur:

> *Principio cælum, ac terras, camposque liquentes*
> *Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra*
> *Spiritus intus alit; &c.*

quo ad renovationem demum Orbis deveniret, futuramque denotaret Restaurationem Judæorum, futurum millene Christi in terris Regnum; quæ omnia vix aliud habent quam cogitationes Burne-

tii fundamentum? Sed neque duo Baptiſmata diverſa ſignificata fuiſſe phraſi illa: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; neque Angli Scriptoris interpretationem confirmatum iri verbis ſtatim quæ ſequuntur, opportuniore erit oſtenſum in loco.

C A P U T II.

Schoettgenii opinio de origine Baptiſmatis in Spiritu Sancto & igni oppugnatur. Explicatur locus Numerorum XXXI. 23. Excellentia Baptiſmi Chriſti præ Baptiſmate Johannis. Miraculorum donum in Chriſto, non item in Johanne. Prodigiorum donum hebraica & helleniſtica phraſi appellatum Spiritus Sanctus. *Locus Matthæi III. 11. collatus cum altero I. ad Corinthios X. De hæreticis quos igne baptizaſſe legimus. Baptiſmus, de quo Johannes, idem ac conſecratio & initiatio, ſymbolo aliquo & conſpicuo ſigno, diverſo a ſymbolo aquæ, peragenda.*

IX.

Quid igitur fuerit *Baptiſma in Spiritu Sancto & igni* nemo poterit eruere, niſi Johannis verba ita in examen revocaverit, ut ejus ſcopum, mentem, intuitum denique valuerit attingere; non verborum modo atque emphaſeos habita ratione, ſed præſertim ratione opinionum habita, quæ tum apud Phariſæos, quibuſcum Johannes loquebatur, obtinebant; habita denique ratione Judaicarum Traditionum, quæ Meſſiam reſpiciebant, & quarum ad normam characteres, ſigna & indicia eorum, quæ in Meſſiæ adventu Judaico eventura erant Populo, jamdiu ſibi præformaverant Circumciſi. Ita profecto qui procederet, non my-

mysticam, aut longius petitam, sed facilem, simplicem, genuinam, rectam, ceterasque ad se trahentem loci interpretationem feliciter eli[illegible]ret, pluresque una [illegible]ce illustraret veritates, sin latentes prorsus, ast earum ex dituactione tamen, suo e fonte minus derivatas.

X.

Ut vero ab origine rei auspicandum videretur, paucis in medium producere haud negligimus, quæ apud Christianum prostant Schoettgenium in Horis Hebraicis ad Evangelium Matthæi, ubi locum, quo de agimus, sibi sumit enarrandum. Ubi enim ad Præcursoris verba pervenit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, partem Dialogi exscribit exstantis *Sanhedrin. fol.* 39. 1., in quo quum rogatum esset a Sadducæo: *Audisti ne unquam de Baptismo ignis verba fieri?* regessisse fertur R. Ashu: עיקר טבילותא דנורא הוא, fundamentum videlicet Baptismi ignis esse locum Numerorum XXXI. 23. *Quodcumque non transibit per ignem, illud aqua purgabitis*. Hæc, inquam, ex Judæorum Præceptoribus de origine Baptismi ignis Schoettgenius; quæ tamen quanam ratione facere huc possint, nullus video: siquidem, Numerorum Capite allegato, nil est, quod ad Baptistæ promissionem referri jure posse videatur. Narrat tunc Sacer Auctor, Deum Judæis bellum adversus Madianitas præcepisse, quorum prædam expiari jussit a Victoribus, neque ab ipsis contingi & dividi, nisi prius repurgatam. Quum vero duo vim habere purgantem apud Veteres esset receptissimum, ignem exurendo scilicet, aquam eluendo; heinc eisdem, pro immundarum qualitate rerum, uti Circumcisos Numen voluit prædam expiantes; ita quippe textus sacer loco memorato: *Et de omni præda, sive vestimentum fuerit*,

ſive vas, & aliquid in utenſilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno expiabitur . . . Aurum & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum, & omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur: quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur. Baptiſma aliquod, aut expiationem quandam igne faciendam, hocce erui e loco poſſe non negamus; ſed quid illa, rogo, relate ad Baptiſmata Johannis & Meſſiæ? Num Diſcipulorum corda, quæ Baptiſmati Johannis recipiendo, veſtimentorum inſtar, mollia & aptiſſima fuiſſent, duriora evaſiſſent inde, æris inſtar, ferri, plumbi atque ſtanni, prædicationique & Œconomiæ Chriſti adverſa adeo & oppoſita, ut expiatione ignis opus fuiſſet, quo aliqua ratione emolliri, mundari ac purgari poſſe crederentur? Num Meſſiæ ablutioni, quæ fluenta illa gratiæ quibus inundantur Chriſtiani, magnamque ſecum fert Spiritus Sanctitatis & conſolationis copiam; Gratiæ, inquam, lavacro Apoſtoli magis, quam Diſcipuli Johannis Baptiſmo pœnitentiæ reſtitiſſent? Saniorem ſane induere nos mentem cogunt Sacri Textus vetuſtiſſimæ Interpretationes, quibus intelligimus, metalla devictorum Hoſtium, imperio Numinis, tranſire primum quidem per flammas debuiſſe, aſt eadem debuiſſe dein expiationis aqua lavacri iterum ac mundari. Ita nempe LXX. Interpretes: πλὴν τοῦ χρυσίου, καὶ τοῦ ἀργυρείου, καὶ χαλκοῦ, καὶ σιδήρου, καὶ μολίβδου, καὶ κασσιτέρου· πᾶν πρᾶγμα ὃ διελεύσεται ἐν πυρὶ διάξεται ἐν πυρί, καὶ καθαρισθήσεται, ἀλλ᾽ ἢ τῷ ὕδατι τοῦ ἁγνισμοῦ ἁγνισθήσεται. *Præter aurum & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum; omnis res quæ tranſibit in igne, perducetur in igne, & purificabitur; ſed aqua expiationis expiabitur*. Chaldaica æque Paraphraſis: *Et quicquid poteſt tranſire per ignem, transferetur per ignem, & mundabitur*

dabitur ; veruntamen aqua aspersionis aspergetur . כל מלעם
דמתעל בנורא בנורא וידכי ברם במי אדיותא
יתדי . Quicquid igitur per ignem transierat , quicquid mundatum igne fuerat, adspergi adhuc & purificari aqua indigebat , cui cinerem intactæ Juvencæ rufi coloris admixtum esse debuisse volunt Exegetici . Major itaque expiatio erat aquæ , quam expiatio ignis ; siquidem quæ per ignem transierant , non satis pura habebantur , nisi adhuc aqua mundarentur . Hisce præconceptis vero , quis ad duo ista Hebræorum veterum Baptismata , quis ad duas illas expiationes Præcursorem allusisse imaginetur ? Num hujusmodi allusione majorem vim atque efficaciam , quam Messiæ Baptismati asserere satagebat , præ vi atque efficacia Baptismatis a se instituti, commodum significasset Johannes ? Num perfectiori expiationi , aquæ scilicet , qua ea , quæ per ignem antea transierant, perfecte demum mundabantur , Baptisma comparasset suum Præcursor ; leviori vero expiationi , quæ per ignem videlicet peragebatur , Baptismum comparasset illum , qui absolutum regenerationis statum , Spiritum nempe gratiæ & sanctitatis Proselytorum animis ingerere debebat ? Imo , quum donati Baptismate Johannis rursus Baptismo Christi deberent initiari , rerum ordo postulabat , ut se quidem baptizare in igne testaretur Johannes ; (si ad expiationes prædæ Madianiticæ allusisset) futurum tamen , ut adventurus mox post se fortior ac potentior Baptismo aquæ immundos consecraret , quo perfecte expiarentur ac mundarentur prorsus . Ad Baptismata igitur (oppositum quum dixerit Johannes) ad Baptismata , inquam , de quibus ait Auctor Libri Numerorum , non alludebat promissione sua Prodromus , neque ab expiatione illa ignea Legis Veteris ori-

originem sumsisse Baptismum ignis, de quo in præsens, existimandum est. Quid de origine tamen Baptismi Ignis quærimus, natura ejus prorsus ignorata?

X I.

Hanc ut vestigemus, auspicari operæ pretium est ab eo, in quo omnes Exegetici conveniunt, quorum heic universalissimum est effatum, Johannem verbis illis: *Ego baptizo vos aqua, ille vero qui post me venturus est, baptizabit vos in Spiritu Sancto & igni*, ostendere Judæis voluisse, se Præcursorem quidem Christi esse, non ipsum vero Christum; illoque dicendi modo majorem & præstantiorem venturi post se excellentiam significare in animo habuisse. Quibus ita constitutis, inquirendum in Evangelistarum Scriptis est, aliquodne adfertur apertum discrimen Johannem inter atque Christum, quod eorum cum Legatione ad Judæos conferri possit? Et num excellentia illa major in Evangelio clare denotetur, quam Judaica certe phrasi, suorumque sub involucro verborum expressit Prodromus, Baptismate in Spiritu Sancto & Igne?

X I I.

Hoc discrimen, eaque præstantior excellentia adparet confestim in Miraculorum dono, quod equidem fuisse in Christo Sacræ Literæ fidem faciunt, non item in Johanne. Narrat Evangelista, abiisse olim Christum trans Jordanem, *in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum*, & mansisse illic: tunc vero ad eum venisse multos, qui miracula ejus & signa stupendissima mirati, *dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum: omnia autem, quæcunque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.* (Johannis X. 41. 42.) En igitur discrimen, en perfectiorem excellentiam, en Baptismum in Spiritu Sancto, quem præbere

re debebat fortior Johanne, quem Johannes præstare se non posse fatebatur. Quid enim aliud erui potest ex Oratione allegata? Degentes in loco, ubi Johannes olim aqua baptizabat, ibique Christi prodigia videntes, subit eorum animos, cum Johannem, nullum fecisse umquam signum, tum portendisse etiam, venturum mox aliquem, qui eos baptizaturus esset *in Spiritu Sancto, & igni*; Ex miraculis autem Christi ajunt, omnia quæcumque olim Prodromus de Messia dixerat, vera esse: Præcursor tamen nil de Messia apertius dixerat, quam futurum ut diu expectatus, mox *baptizaturus demum esset in Spiritu Sancto, & igni*; quod ipse utique efficere non poterat: Baptismus igitur, saltem *in Sancto Spiritu*, miraculorum donum erat, quo excellere Christum oportebat præ Johanne.

XIII.

Prodigiorum autem donum vocatum fuisse *Sanctum Spiritum* non mirabitur profecto, nisi qui stolidissime imaginatus fuerit, Baptistam, ceterosque Christi tempore Judæos, nostris phrasibus loqui debuisse, nostrisque uti vocibus & dicendi modis. Seldenus Libro de Synedriis veterum Hebræorum II. Cap. 4. multiplicem ex Maimonide tradit nominis רוח הקודש *Spiritus Sanctus* apud Judæos acceptionem, quam laxissimam fuisse norunt Hebraizantes universi, licet in loco ex analogia adjectisque determinatam. Frequentissime tamen & aptissime רוח הקודש *Spiritum Sanctum*, cum in Recentiore Testamento, tum præsertim apud ætatis illius Judæos, usitatissimo dicendi more, denotare potestatem miracula edendi evincunt Lighfootes in Harmonia IV Evangelistarum, & Clericus Artis Criticæ Parte II. Sect. I. Cap. V. Nihil reapse est Dialecto in Hebraica frequentius, quam vocibus

a na-

a nativa ſignificatione nonnihil deflexis ampliorem quam antea ſubjici poteſtatem : quod utique & Helleniſticæ communicatum Linguæ ; nam , quamvis græcæ voces per ſe tam late aliquando non pateant quam hebraicæ quibus correſpondent , eaſdem tamen a Scriptoribus Novi Teſtamenti more notiſſimo extenſas reperimus , ad ea omnia ſignificanda , quæ hebraicis in vocibus ſignificant . Ut igitur רוח הקודש donum non ſemel miraculorum denotat , ita & πνεῦμα ἅγιον in Sacris Novi Teſtamenti Literis ; quare *Baptiſmus in Sancto Spiritu* , nil aliud futurus eſſet , quam Baptiſmus ab homine collatus donis extraordinariis ornato , virtuteque miracula patrandi .

X I V.

Quod ut percipiatur magis animadvertendum eſt , eodem ſenſu *Baptiſma* aut *baptizare* hoc loco debere ſumi , quo I. ad Corinthios X. , ubi Apoſtolus ſcribit , veteres Hebræos *in Moyſen baptizatos fuiſſe in nube & in mari* . καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ . Quid rogo *in Moyſen baptizari in nube & in mari* ? Nil aliud ſane , Interpretum ſententia , niſi nubem Iſraëliticis caſtris præeuntem , & trajectum maris Idumæi ſigna fuiſſe Fœderis Deum inter & Populum, miniſterio Moyſis , initi ; ea ratione qua Arcus poſitus in nubibus ſignum fuerat Fœderis inter Numen atque Patriarchas, ad non futurum amplius Diluvium terram diſſipans . Eo igitur pacto quo *Baptiſmus in nube & in mari* ſignum pacti erat Dei cum Hebræis εἰς τὸν Μωσῆν (Corinth. X. 2.) inſtituti ; ita *Baptiſmus in Spiritu Sancto* , *& igni* ſignum pacti oportebat eſſe Dei cum hominibus εἰς τὸν Χριστὸν (Rom. VI. 3.) inſtituendi ; ſive , ut ſimili fere ratione alii explicant : eo pacto quo Miracula trajectus maris Idumæi , & nubis

præ-

præeuntis Iſraëliticis caſtris, indicia, ſigna imo certiſſima fuerunt Divinæ Legationis Moyſis; ita רוח הקודש *Spiritus Sanctus*, edendorum ſcilicet miraculorum fulgentiſſima poteſtas, ſignum pignuſque certiſſimum futurum eſſet Perſonæ, dignitatiſque adventuri mox Meſſiæ; qua profecto poteſtate Præcurſor non gaudebat, quum nullum umquam edidiſſet ſignum; adeoque ſolo Baptiſmate aquæ in pœnitentiam uteretur. Conſecrationem & initiationem etiam ſignificare hiſce in locis *Baptiſmum* docet Johannes Albertus Bengelius, qui Apoſtoli verba ita reddit: *Baptizati ſunt in nube & in mari, quatenus per nubem & per mare initiati ſunt; quibus ex miraculis Moyſi Iſraëlitæ credere cœperunt*. Initiandi igitur per Spiritum Sanctum & ignem erant Diſcipuli Johannis a Meſſia; per miracula nempe & illuſtria Phænomena, quo in ipſum crederent, rite conſecrandi. Optimam hoc in loco remur vocum *Baptiſmi* & *baptizandi* ſignificationem notionemque; quum eas ita determinet allegatus Auctor, in Gnom. N. T., ſcilicet in Opere, in quo *ex nativa verborum vi* Sacrorum mentem Scriptorum aperire ſatagit diligentiſſime. Equidem Præcurſoris verba de vero Baptiſmate ignito intelligenda non eſſe norunt univerſi; quum nonniſi obſcuri nominis Hæretici illud uſurpaverint, ut ex Heracleone refert Clemens Alexandrinus in Eclogis Propheticis: ἔνιοι δὲ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατεσημήναντο, ὅπως ἀκούσαντες τὸ Ἀποστολικόν; *Quidam vero*, inquit, *igne ſignarunt aures eorum, qui Baptiſmatis ſigillum acceperunt, ita intelligentes iſtud Apoſtolicum*; nempe: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. Quinam ejuſmodi fuerint, ignotum ſibi fatetur Grabrius in Notis ad Tom. II. Spicilegii SS. Patrum; & an Seleuciani & Herminiani, quos apud Prateolum igne baptizaſſe legimus, morem illum obſervarint, incertum ait

 Gro-

Grotius, in Adnotationibus ad allegata Præcursoris verba, ut de Valentino, de quo Tertulliano

Bis docuit tingi traducto corpore flamma.

Memorantur ab Annato, Lib. VII. Art. 7. *Method. ad Theologiam positivam*, nonnulli septimi Sæculi Jacobitæ, qui *ad literam* Evangelii verba explicantes, parvulos adustione quadam in fronte vel in genis impressa circumcidebant; inde originalem expiari labem arbitrati; quorum morem ansam dedisse quibusdam Exscriptoribus delendi hoc loco voculam πυρὶ *igni*, quod aliquibus in Codd. videre est, animadvertunt Critici. Non esse, inquam, de Baptismate hoc ignito Præcursoris verba intelligenda norunt universi. Jure dubitandum tamen, an ad verum Baptisma a Christo inde institutum eadem referri possint, quod nempe ob τὸ σφοδρὸν τῆς χάριτος *vehementiam gratiæ* Baptismus appellatum sit in Spiritu Sancto, & igni. Siquidem opponit heic Johannes Baptisma venturi post se Messiæ, Baptismati a se collato, ceu non in aqua debuisset ille baptizare. Quamvis autem, ratione gratiæ & cælestium donorum, opposita dici possent duo illa, Christi nempe, & Prodromi Baptismata; non ratione signi tamen, &, ut dicimus, materiæ; quam oppositionem modo nosse & præconcipere tunc valebant Asseclæ Johannis. Itaque quum hoc etiam pacto Baptisma Messiæ suo Baptismati Johannem opponere voluisse ratio & adjecta postulare videantur, consequamur necesse est, non proprium verumque Baptisma tunc Johannem respexisse, sed consecrationem aliam diversis signis, diversaque materia peragendam; ad conspicuum aliquid allusisse, quod novæ consecrationis indicium esset; &, uti tandem ostensum a nobis erit, ad splendidiora alia Phænomena, & nobiliora signo aquæ, quo ipse utebatur; ad meteo-

ra

ra demum ſacra, ad prodigia, & ad miracula, quibus revera Apoſtolicis temporibus Eccleſia Chriſti conſecrata eſt.

CAPUT III.

Cur Baptiſma caruerit miraculorum dono. Baſnagius notatus. Miraculorum donum non reſtituendum niſi a Meſſia. Legatio Diſci, ulorum Johannis ad Chriſtum. Mens Tertulliani & Hieronymi de illa Legatione. Locus Lucæ VII. explicatus. Poteſtas miraculorum edendorum, quam Judæi appellabant Spiritum Sanctum, *nota, ſive ſignum characteriſticum Meſſiæ. Meyerus a Schoettgenio emendatus.*

XV.

NOn minimam fortaſſe admirationem movere poterit, Baptiſtam, qui collapſam temeratamque a Phariſæis atque Sadducæis Religionem reſtituere nitebatur, novamque Baptiſmi formam inſtituere; eum, inquam, quem Principibus ac Sacerdotibus adverſari oportebat, miraculorum dono, quod iccirco neceſſarium videbatur, ornatum non fuiſſe; cujus hanc cenſet cauſſam Baſnagius in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis, ad A. D. XXIX; *ne ſcilicet Judæi, quos auſtera Joannis Diſciplina, durumque illud vitæ genus rapiebat in admirationem, Joannem pro Meſſia pertinacius haberent. Aliunde*, ſubjicit, *Chriſti honor magis inclareſcebat, qui tot tantiſque gloriæ gradibus, ex patratis innumeris miraculis, Joannem ipſum, quem ſtupebant, longiſſime eminebat.* Quæ recte profecto viderentur pronunciata, ſi non ad ſolam decentiam fuiſſet diſcrimen illud ab Auctore clariſſimo reſtri-

 ctum.

ctum. Verum nempe atque intimum miraculorum donum, quod Judæi *Spiritum Sanctum* appellabant, jamdiu in Ecclesia Judaica defecerat, a tempore Prophetarum scilicet, uti fatentur Magistri Judæorum apud Ligtfootem, neque restituendum nisi per Messiam erat, uti Prophetarum Oracula fidem faciebant.

XVI.

Ad Messiam igitur spectare oportebat restitutio doni miraculorum apud Circumcisos; & Messias revera prodigia edidit stupendissima, quorum fama quum ad carcerem usque Johannis pervolasset, sanctus ille Vir ad Servatorem Discipulos misit suos, ut ita eum interrogarent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (Lucæ VII. 19.) Hanc quidem Legationem ex dubitatione Præcursoris ortam sensisse olim videtur Tertullianus, Libro de Baptismo Cap. 10., ubi scripsit: *Ipsum quod cæleste in Johanne fuerat, Spiritum Prophetiæ, post totius Spiritus in Dominum translationem usque adeo defecisse, ut quem prædicaverat, quem advenientem designaverat, postmodum an ipse esset, miserit sciscitatum.* Oppositum tamen alii Patres docuerunt, Hieronymus præsertim, cujus sententia, Legatio illa non ex Baptistæ dubitatione orta est, sed ut Discipulis digito monstraret suis ea quæ spoponderat, advenisse jam scilicet miraculorum dono conspicuum Messiam; *non quasi ignorans interrogat*, inquit in Caput Matthæi XI.; *ipse enim ceteris ignorantibus, demonstraverat, dicens, Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi, & Patris vocem audierat intonantis, hic est filius meus dilectus, in quo complacui; sed quomodo Salvator interrogat, ubi sit positus Lazarus, ut qui locum Sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, & viderent mortuum resurgentem; sic & Joannes interficiendus ab Herode, Discipulos mittit ad Christum,*

ſtum, ut per hanc occaſionem videntes ſigna atque virtutes in eum, & Magiſtro interrogante ſibi crederent. Reapſe ſi hæc fuit, uti nullo pacto dubitandum, Baptiſtæ, in Legatione illa, mens; itaque, quum Propheta foret, oportebat ut eo tempore Diſcipulos ad Meſſiam mitteret, quo idem baptizare pergeret in Sancto Spiritu; hanc enim jam illis inſinuaverat venturi poſt ſe atque expectati notam. Num vero tunc aut afflictationes immittebat Chriſtus, aut gratiam cordibus infundebat, aut Romanorum erigebat animos ad evertendas bello Hieroſolymas? Minime ſane gentium; ſed, uti narrationem proſequitur Evangeliſta Lucas; *In ipſa autem hora multos curavit a languoribus & plagis & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum*. Quare Johannis diſcipulis reſpondens, *dixit illis: Euntes renunciate Johanni quæ audiſtis & vidiſtis: quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*. Erat hicce ergo *Baptiſmus in Sancto Spiritu*, donum videlicet Miraculorum, hic character, hæc ſpecialiſſima Meſſiæ nota, ut ominatus Iſaïas fuerat, Cap. XXXV. *Deus ipſe veniet & ſalvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt*; Heinc Sohar Exod. fol. 3. col. 12. *R. Simeon dixit ad R Eleazarum filium ſuum: Eo tempore, quo Meſſias venturus eſt*, כמה אתיין ונסין אחרנין יתערון בעלמא: , *quot ſigna & prodigia alia occurrent in Mundo?*


XVII.

Sed hanc edendorum Miraculorum poteſtatem notam & characterem Meſſiæ, ſecundum Judæos eſſe debuiſſe nil oſtendit magis, quam quod VI. Capite legimus Evangelii Johannis. Quinque panibus & duobus piſcibus ſaturatus Chriſtus fuerat quinque millia

lia hominum . *Illi ergo homines* , prosequitur Evangelista , *cum vidissent quod Jesus fecerat signum , dicebant : Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum . Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent , ut raperent eum , fugit iterum in montem ipse solus* . Ex miraculis a Christo perpetratis , ipsum Prophetam diu expectatum , ipsum esse , quem advenire oportebat , ipsum denique Messiam esse ; consequebantur Circumcisi ; ipsum diademate donare constituerant ; inque dono illo restituto completas Magistrorum Traditiones , completa Patrum scita , & Prophetarum Oracula autumabant ; quare & ita *ad hominem* , Lucae XI. 20. , adversus Judaeos argumentabatur Christus : *Porro si in digito Dei ejicio Daemonia : profecto pervenit in vos Regnum Dei* ; nempe, quod ita appellabatur , tempus & Seculum Messiae . Nota igitur , character , signum , indicium Messiae in restitutione potestatis miraculorum patrandorum sita erat ; quam potestatem Judaica phrasi *Spiritum* vocabant *Sanctum* ; quum eam enim , post Ascensionem suam communicaturum se Discipulis spopondisset suis Christus , eadem utitur Evangelista Johannes phrasi , qua Praecursor ; sic enim Cap. VII. 78. *clamabat Jesus dicens : Qui credit in me sicut dicit Scriptura , flumina de ventre ejus fluent aquae vivae . Hoc autem dixit de Spiritu* , prosequitur Evangelista , *quem accepturi erant Credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus , quia Jesus nondum erat glorificatus* . Ad quae ita Schoettgenius in Horis Hebraicis & Thalmudicis in hunc locum : *Celebris Harderovicensium Theologus Johannes Meyerus hoc loco per* πνεῦμα ἅγιον *intelligit Spiritum Prophetiae . Verum non possum adduci , ut credam , hanc interpretationem huic loco satis bene quadrare . Intelliguntur enim potius dona miraculosa Spiritus Sancti in primos Christianos visibili modo effusi* ,

quae

quæ plus, quam ſolum Prophetiæ donum, includebant. Addebatur enim donum linguarum, miraculorum, πληροφορίας in Prædicatione Chriſti, quæ ſingula cum dono Prophetiæ non ſemper erant conjuncta. Miraculorum igitur donum *Spiritus Sancti* nomine apud Judæos frequens denotabatur; quo antequam captivam duxiſſet Chriſtus captivitatem, quum Baptiſtam quoque caruiſſe oporteret, factum inde, ut ſe *in Spiritu Sancto baptizare non poſſe* fateretur; hoc eſt, non habere ſe miraculorum donum Legationis ſuæ ſignum & indicium; ſed futurum illud, ceu fœderis mox ineundi ſignum, in adventuro Chriſto, in quo edendorum prodigiorum futura profecto erat ampliſſima poteſtas.



CA-

CAPUT IV.

Ex Evangelica Harmonia, exque veris de Messia praeconceptis inquirendum quidnam fuerit Baptismus in Spiritu Sancto & igni. Cur Johannes neque Eliam se, neque Prophetam esse adfirmaverit. Traditio Pharisæorum de reditu veri Eliæ, deque restitutione donorum prioris Templi ab ipso præstanda. Ejusmodi de Traditionis origine disseritur. Sancti Justinus & Hieronymus laudati. Ligtfootes, Leusdenus, Altingius, Valtonus, Grabius, allegati. Explicatur Malachiæ Oraculum de Baptista Capp. III. & IV. Versio Oraculi Masclefiana methodo cum Lucæ I. 76. collata. Illustratur LXXviralis Versio. Collinus oppugnatur. Pharisæos in Metempsychoseos errore minime versatos. Basnagii & Clerici ea de re testimonia. Gelenius a Basnagio correctus. Falsa veterum aliquot Hetherodoxorum de persona Prodromi sententia.

XVIII.

Feliciter, ut arbitramur, enodavimus hucusque, quid ex Baptistæ ac Judæorum mente foret *Baptismus in Spiritu Sancto*; solvendus adhuc tamen implexus magis nodus altera e voce derivatus *& igni*; neque enim verisimile est, donum itidem miraculorum ea voce denotari. Ejus revera de sensu quærunt omnes qui de Flaminis Baptismo pertractarunt, an scilicet ad irregenitos spectet, vel potius ad Regenitos? an ad Judæos incredulos, vel ad credentes pertineat Christianos? Si ad Harmoniam tamen Evangelistarum iterum confugimus, adque Traditiones Judæorum, ad eorum

eorum phrases atque præconcepta; sique in examen revocare pergimus, cur & quando dixerit Johannes de *Spiritu Sancto, & igne*, viam sternemus perviam totius loci enarrationi.

XIX.

Præparaturus viam Domino Johannes, a prædicatione & Baptismo auspicatus est; quod novum facinus mirati tunc temporis Judæi, *miserunt ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?* Quam nempe auctoritatem habes, ut, neglecta ceterorum Prophetarum methodo, novam Baptismi disciplinam usurpare audeas? Cur negligis Triumvirûm consuetudinem? cur non Proselytos, de more; sed homines ortu ac Religione Judæos baptismate donare pergis? Quid hoc rei est, ut tuo addictam Baptismati spondeas remissionem peccatorum? Num absque miraculis ordinem a Synagoga constitutum perturbare audes? Prosequitur Evangelista Johannes Cap. I.: *Et confessus est*, (Præcursor) *& non negavit: & confessus est, quia non sum ego Christus*. Cui statim illi: *Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: non sum. Propheta es tu? Et respondit: non. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso? Ait*: (Baptista) *Ego vox clamantis in Deserto: Dirigite viam Domini, sicut dicit Isaïas Propheta*. Nempe, subjicit Evangelista, *qui missi fuerant, erant ex Pharisæis, & interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas; si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Joannes dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis: Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est; cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*; vel, ut hocce in loco habent Matthæus atque Lucas: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœniten-*

tiam ; qui autem post me venturus est , fortior me est , cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & Igni . Harum , inquam , ex harmonia rerum , exque idonea ejus interpretatione , nodum feliciter atque auspicato non soluturos modestissime confidimus .

X X.

Mirari prima fronte subit , ut qui jure summo se Messiam esse negat Johannes , adfirmet adhuc tamen , se neque Prophetam esse , neque Eliam , quæ Divino Eloquio opposita videntur . Nonne Zacharias ipsius Johannis Pater repletus Spiritu Sancto prophetans de Filio suo dixerat , apud Lucam Cap. I. 76 : *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis , præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* ? Nonne Eliam , futurum Johannem ostenderat Oraculo suo Malachias Cap. IV. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam , antequam veniat dies Domini* ? Nonne Servator ipse Matthæi XI. de Baptista loquens , *& si vultis recipere* , inquit , *ipse est Elias qui venturus est* ? Mirandum non esse tamen de Johannis responso docent SS. Patres atque Interpretes ; quod enim Dominus fatebatur de Spiritu Eliæ , id Johannes inficiebatur de Persona . In ea igitur opinione Judæi versabantur , ut Eliæ personam ipsam adventuram ante Messiam crederent ; & ipsummet verum Eliam baptizaturum in Spiritu Sancto & Igne . Cur enim se Eliæ personam non esse , & quomodo ostendit Præcursor , nisi quod non baptizaret in Spiritu Sancto & Igne , sed solo Baptismate aquæ in pœnitentiam ? *Non sum equidem Elias , aut Christus , aut Propheta ille quem expectatis* , significare vult Johannes ; *verum , neque inde baptizo ea ratione , qua vos Eliam , & Prophetam illum expectatum baptizaturos imaginamini ; Ego siquidem solo utor Baptismo aquæ in pœni-*

tiн-

tentiam ; *quum illi* , *opinione vestra* , *baptizaturi sint in Spiritu Sancto & Igni* ; Sanctum nempe Spiritum habituri sint , apertum certissimumque adventus & dignitatis suæ signum atque indicium .

X X I.

Illum ipsum revera Eliam, qui sub Achabo floruit, ante Messiam reversurum , ex Magistrorum Traditione Judæi certissime expectabant . *Traditio Pharisæorum est* , ait Hieronymus , Commentario in Caput Matthæi XVII. , *juxta Malachiam Prophetam* , *quod Elias adveniat ante adventum Salvatoris* , *& reducat cor Patrum ad filios*, *& filiorum ad Patres*, *& restituat omnia in antiquum statum* . Alte vero adeo Judæorum animos ea pervaserat opinio , ut , vel ipsius Hieronymi ætate , in eadem adhuc versarentur; id nempe verba indicant ejusdem Sancti Patris, Commentario in Caput IV. Malachiæ . *Judæi* , inquit , *& Judaizantes Hæretici ante* ἠλειμμένον *suum* , *Eliam putant esse venturum & restituturum omnia* . Heinc Judæus ille Trypho , qui cum Justino de Messiæ characteribus disputabat , ita , ut in Dialogo ejusdem Martyris habemus, inquiebat : Χριστὸς δὲ, εἰ καὶ γεγένηται, καὶ ἔστι που ἄγνωστός ἐστι , καὶ οὐδὲ αὐτὸς πω ἑαυτὸν ἐπίσταται , οὐδὲ ἔχει δύναμίν τινα μέχρις ἂν ἐλθὼν Ἠλίας χρίσῃ αὐτὸν καὶ φανερὸν πᾶσι ποιήσῃ . *Christus autem* , *siquidem natus est* , *aut uspiam versatur* , *needum seipse novit*, *nec ulla virtute præditus est* , *donec eum adveniens Elias unxerit* , *& manifestum omnibus fuerit* . Et rursus Judæus idem in eodem Dialogo : *Nam & nos omnes Christum hominem ex hominibus expectamus* , *& ab Elia* , *quando is venerit* , *unctum iri* . *Quod si iste Christus esse videatur* , *homo ex hominibus omnino existimandus est* ; *sed quia nondum venit Elias* , *neque hunc Christum esse censeo*. καὶ γὰρ πάντες ἡμεῖς τὸν Χριστὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προσδοκῶμεν γενήσεσθαι , καὶ

τὸν Ἠλίαν χρῖσαι αὐτὸν ἐλθόντα· ἐὰν δὲ οὗτος φαίνηται ὢν ὁ Χριστὸς ἄνθρωπον μὲν ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἐκ παντὸς ἐπίστασθαι δεῖ· ἐκ δὲ τοῦ μηδὲ Ἠλίαν ἐληλυθέναι, οὐδὲ τοῦτον ἀποφαίνομαι εἶναι. Hancque expectationem diu postmodum perseverasse, Rabbinorum ex Elucubrationibus, evincit Ligtfootes in Horis Hebraicis ad Evangelium Matthæi, ex Kimchio præsertim, exque Aber Ezra, ex paginis Talmudicis, earumque ex Glossatoribus, apud quos illa apertissima: לפני ביאת בן דוד יבא אליהו לבשר, *Ante adventum filii Davidis, ad veniet Elias ad evangelizandum de eo*; & Ligtfoote fusius eam Circumcisorum de reditu Eliæ spem, ostendit Jacobus Altingius, Lib. V. Cap. XI. de Vaticinio Jacobi, ubi copiosam legere collationem poteris Eliæ Thisbitis, uti expectabatur, munerum cum Historia Baptistæ; idemque Schoettgenius præstitit Libro VI. de Messia, Cap secundo.

XXII.

Longius vero, quam par est, digredi oporteret, si de hujusce opinionis origine dicere pergeremus. Paucis igitur rem persequamur. Johannis Baptistæ adventum jam olim portenderat Oraculo suo Malachias Cap. III. scribens: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis*. Et rursus Propheta idem Cap. IV. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini*. Ad Johannem Oraculum illud pertinuisse S. Lucas apertissime ostendit I. 14.: *Et ipse præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ*; quia nempe, ut ajebat Hieronymus, Commentario in Caput Matthæi XI., *& vitæ austeritas rigorque mentis Eliæ, & Joannis pares sunt. Ille enim in Eremo, iste in Eremo: Ille zona*

pel-

pellicea cingebatur , & iste simile habuit cingulum : Ille quoniam Regem Achab & Jezabel impietatis arguit , fugere compulsus est ; iste , quia Herodis & Herodiadis illicitas arguit nuptias , capite truncatur . Quas profecto similitudines ampliori Oratione prosequuntur atque urgent, qui aut Malachiæ aut Evangelistarum hacce in re effata sibi sumpserunt explananda .

XXIII.

Mysticum igitur Eliam promiserat modo Malachias , cujus verba de vero ipso Elia Judæi perperam interpretabantur ; adeo enim certum est , Malachiam de Elia typico loquutum , ut qui Massorethrum punctationi non adhærent , & Masclefiana utuntur libertate , ne Eliæ quidem nomen ab Oraculo prolatum tueri possint ; tametsi ratione habita receptissimæ apud Judæos Traditionis , ac Lectionis , Evangelistæ ac Servator ipse , Eliæ nomen , ita ut ætate sua in Codicibus apud Malachiam ferebatur , usurpari sinerent ; & , *ad hominem* adversus Judæos ipsi quoque disputantes , illud ita interpretari viderentur . Verum quidem est , Interpretes omnes vertisse : *Ecce ego mittam vobis* אליה הנביא *Eliam Prophetam* ; ast qui animadverteret , in Sacris Literis ubi fuse agitur de Elia , & apud Paraphrastas & Rabbinos , non אליה , sed verius אליהו Eliam appellari , alio sensu Malachiæ verba exhiberi posse fateretur. III. Regum XVII. 1. *Et dixit* אליהו *Elias Thesbites* . Ibidem , 13: *Ad quam* אליהו *Elias ait*. Ibidem , 15: *Juxta verbum* אליהו *Eliæ*. XVIII , 2: *Ivit ergo* אליהו *Elias, ut ostenderet se Achab* . Ibidem , 14 : *Adest* אליהו *Elias ut interficiat me* . Et ita sexcentis aliis in ejusdem Libri locis; uti & II. Pa-

Paralipomenon XXI, 12: *Allatæ sunt autem ei Literæ* מאליהו *ab Elia Propheta*. Ita & in Paraphrasi Chaldaica Librorum Regum. Cappellus, in Lexico ad vocem אלה, vulgatissimum illud apud Judæos in medium producit: עד שיבוא אליהו, *Donec veniat Elias*; eodemque scriptum esse modo nomen, de quo agimus, in allegato Rabbinorum effato certum est: *Ante adventum filii Davidis, adveniet* אליהו *Elias ad evangelizandum de eo*. Adnotat Johannes Leusdenus in Clavi Hebraica Veteris Testamenti, Præfatione in Isaïam, hunc Prophetam dici ab Hebræis ישעיהו; illudque *Vau* cum *Schurek* in fine additum, videri esse terminationem nominis proprii, uti etiam in nomine ירמיהו, scilicet Jeremiæ. Porro haud negaverim, in Bibliis non punctatis inveniri, ישעיה, ירמיה, עובדיה, יונה, מיכה, עפניה quæ sunt æque nomina Prophetarum propria, absque addito *Vau*. Quis ignorat tamen, juxta Massoretharum principia, duas literas י, & ו nullum per se sonum edere, sed tantum ratione punctorum quibus afficiuntur? Punctis igitur illis positis factæ sunt inutiles, deinde compendii caussa expunctæ; quare nomina illa suo aliquando careant *Vau*. Non igitur אליה, sed אליהו Elias vocabatur.

XXIV.

Quid vero illud אליה הנביא in textu Malachiæ? Nil aliud profecto, quam illud ipsum, quod in Evangelio Lucæ de Baptista puero suo Zacharias protulit: προφήτης ὑψίστου, *Altissimi Propheta*; quare rectius cum Zachariæ Oraculo Malachiæ Vaticinium consonabit, si ita efferatur: *Ecce ego mittam vobis Domini Dei Prophetam*; huic enim interpretationi ex potestate nudissima radi-

radicum nominis אליה apud Masclefianos procedenti, quantum in loco ponderis accedit ex harmonia verborum horum cum effato Zachariæ, quod Malachiæ ad Oraculum sane alludebat! Sed & Hebræorum nonnulli ita textum Malachiæ interpretati fuisse visi sunt; non enim Baptistam interrogaverunt modo, *Elias es tu?* sed etiam: *Propheta es tu?* ὁ προφήτης εἶ σύ; videlicet: *Num fortasse es magnus ille Domini Dei Altissimi Propheta, quem, ante Messiam, venturum portendit Malachias?* Ut enim eorum aliqui Oraculum ad Eliam Thisbitem restringebant, alii illud etiam ad alium aliquem Prophetam extendisse videbantur; quare, quum & venisset Jesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogassent Discipulos suos, uti apud Matthæum legimus, Cap. XVI.: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Regesserunt: *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*; indicium sane, non omnes אליה, in Malachiæ promissione, *Eliam* interpretatos; *quia videlicet Jeremiam quoque redivivum sibi pollicebantur, quemadmodum Eliam Thisbitem*, ut ajebat Jacobus Altingius, Lib. V. Cap. 12., de Schilo, seu Vaticinio Jacobi.

XXV.

Primi igitur, qui vocem אליה hocce in testimonio Eliam verterunt, & ambiguum per se nomen ad Thesbitem restrinxerunt, fuere LXX. Interpretes, aut ille saltem, qui Græcam primus edidit Malachiæ Interpretationem, cujus ea nunc est Lectio: ἰδοὺ ἐγὼ ἐξαποστέλλω ὑμῖν ἠλίαν τὸν προφήτην. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam*; quæ eo facilius Judæos crassiorem rapuit in sensum, quo pæne omnia vetera LXX. Exemplaria legebant: Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστελῶ ὑμῖν Ἠλίαν Θεσβίτην. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thes-*

Thesbitem. Ita enim hodieque legitur in LXXvirali Valtoni; ita in Codice Alexandrino edito ab Ernesto Grabio; ita in Vetere Testamento Græco ex Versione LXX. Interpretum, juxta Vaticanum Exemplar, Londini edito; ita legitur Arabica in Interpretatione; ita & apud Patres cum Græcos, tum etiam Latinos, Origenem præsertim & Chrysostomum in Commentario ad Matthæum; Tertullianum; & quod mirere magis, apud Recentiores non paucos; Anastasium Abbatem, cujus Librum adversus Judæos interpretatus est Cl. Turrianus, & quem Tomo XIII. legimus Bibliothecæ Lugdunensis Patrum; Julianum Pomerium Archiepiscopum Toletanum; ceterosque; qua ex Lectione, ut hi, ita etiam illi inducti procul dubio fuere, ut primum Christi adventum Eliam quidem typicum, Baptistam scilicet, præcessisse, alterum adventum tamen, sive universalis Judicii tempora, præcessurum verum ipsum ac *personaliter* Eliam inde tuerentur; ex adjectis præsertim Vulgata in Interpretatione verbis, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*; quæ aliter tamen ex fonte efferri possent, scilicet, *antequam veniat dies Domini magnus & reverendus*, הגדול הנורא; ea ratione, qua נורא in verbis Patriarchæ Jacobi sumitur, *quam venerabilis est locus ille*; eaque ratione, qua Malachiæ Vaticinium reddiderunt LXX: *antequam veniet dies Domini magna & illustris*, τὴν μεγάλην, καὶ ἐπιφανῆ. Tanta vero consensione ita tot Scriptores Ecclesiastici profecto non legissent, nisi editum antiquissimis in Codd. fuisset: *Ecce ego mittam vobis Eliam Thisbitem*; qua ex corruptione, communique ex interpretatione verbi העלה IV. Regum II.; ex adjecta tandem Magistrorum Traditione, ortus inde apud Judæos de adventu ipsius Eliæ Thisbitis ante Messiam error; cujus originem si animadvertisset Colli-

nus

nus, Oraculum in Johanne Baptista minime fuisse adimpletum non contendisset; opinio siquidem de ipsa Eliæ persona ante Messiam reditura Magistrorum Pharisæorumque imaginationi ortum debebat suum; nec habebat validius in Scripturis fundamentum eorum opinione, qui, teste S. Augustino Lib. XX. de Civitate Dei, Neronem occisum non putabant, sed subtractum potius & occultatum, donec suo tempore restitueretur in Regnum, & ageret Antichristum; tamen etsi Recutiti Traditionem suam, more Judaico, ex Scripturis derivatam prædicarent; quum Patrum scita, aut Scripturarum Exegeses, *Scripturæ* ut Oracula haberent; uti apud Flavium Josephum patet, Libro de Bello Judaico VI. Cap. 5., tradentem, *Judæos in Oraculis scriptum habuisse, tunc fore ut Urbs & Templum caperentur, ubi hoc quadratam formam accepisset*. ἀναγεγραμμένον ἐν τοῖς λογίοις ἔχοντες, ἁλώσεσθαι τὴν πόλιν καὶ τὸν ναὸν τὸ ἱερὸν γένηται τετράγωνον. Quod tamen scriptum revera Sacris in Oraculis non erat, sed ab eisdem modo Judaicam per interpretationem derivatum.

XXVI.

Fuisse videtur vero veterum aliquorum sententia apud Origenem Tomo in Johannem VI., ex μετεμψυχώσεως doctrina, Pharisæos quæsivisse Baptistæ, num Elias ipse foret, vel Propheta alius? Præcursorem nempe ex Zacharia atque Elisabeth ortum eos cognovisse quis in dubitationem revocare velit? Quod tamen quam alienum a veritate sit, ex eo palam esse potest, quod Pharisæi qui verba cum Johanne narrantur commutasse, in μετεμψυχώσεως dogmate nulla ratione versati esse videantur. Evincit id, nisi me fallit animus, in Annalibus Politico-Ecclesiasticis Basnagius, Anno ante D. I. Num. 12., qui Pharisæos de Resurrectione corporum

recte sensisse, perinde atque animorum de immortalitate postquam ex Luca ostendisset, cujus Actor. XXIII. v. 8. ea sunt verba: *Sadducæi dicunt non esse Resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur*. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα· Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. Annalium Parentem oppugnare pergit, allegatum Pythagoreæ metempsychosis dogma asserentem Pharisæis; quod Resurrectionem profecto penitus evertit. Fatetur ille quidem cum Baronio consentire Drusium ceterosque Eruditos, innixos verbis videlicet Josephi scribentis Libro de Bello Jud. II. Cap. 7. *Pharisæi asserunt, animam quidem omnem incorruptam esse*, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, quæ Gelenius perperam interpretatus est, *transire autem in alia corpora*, quibus utique metempsychosis indicatur. Vertendum iccirco subjicit, *migrare in aliud corpus*, queis opinio illa oppugnatur certe, cujus ex principiis non in aliud corpus, sed in multa specie vel diversa corpora humana mens transmittitur. Quin & a metempsychoseos errore longe alienissimos fuisse Pharisæos eo constare subdit, quod Resurrectionis fidem admitterent, insanæ Pythagoræorum *transanimationi* oppositam atque adversam. Etenim quum ex metempsychosi una eademque hominis anima, multa tam animantium, quam hominum corpora incoluerit, unum quidem corpus sibi proprium vindicare non potest, videlicet cum plurimis conjuncta. Deinde, si una numero mens plura in corpora migravit; in quibusdam bene vixit, perperam in aliis: quod & Resurrectioni pugnat, quæ unam eandemque animam felicem, infelicemque esse non sinit. Denique quum una anima ordine suo plura numero corpora subierit, cuinam in Resurrectione tribueretur? Inferendum igitur, quemcumque Resur-

furrectionis fidei tenacem esse, eum uni soli corpori post dissolutionem reparando, unam conjungi mentem fateri necesse esse; quæ ipsissima definitio est Resurrectionis, quæ animas hominum suis corporibus æquat, ut nec plura sint, nec pauciora, sed numero æqualia; quare pio sensu animam in aliud corpus migrare Pharisæis creditum fuisse: aliud scilicet, non natura quidem, sed qualitatibus: non numero aut specie, sed affectionibus atque indole. Clericus etiam in Prolegomenis Historiæ Ecclesiasticæ Sect. I. Cap. II., relatis Flavii hoc de argumento, verbis, *quæ*, subjicit, *Pythagoricam μετεμψύχωσιν manifesto redolent, ac sane videntur Judæi nonnulli, jam tempore Christi, credidisse animos defunctorum in alia hominum corpora migrare. Vide Matth. XVI. 14. Joan IX. 3. Sed ex Evangeliis & Actis Apostolicis liquet aliam plane ἀναβίωσιν, seu alium ad vitam reditum creditum esse vulgo a Pharisæis; Resurrectionem, nimirum, hominum, non ut in alia corpora migrent, sed ut cum suo corpore felicitate æterna fruantur, aut pœnas dent. Paulus certe causam dicens, apud Sinedrium, Act. XXIII. suam de Resurrectione sententiam a Pharisæorum placitis minime distinguit, uti nec Christus suam in Evangeliis. Vide Matth. XXII. 23. & seqq. Itaque crediderim aut Josephum tribuere omnibus Pharisæis, quod nonnullis, qui Philosophiam Græcam nimio in pretio habebant, singulare fuit; aut mutatam, a tempore Christi, ad ætatem Josephi, Pharisæorum sententiam; quorum posterius vix admitti queat, cum inter Pauli & Josephi ætatem exiguum, aut fortasse nullum fuerit intervallum. Forte etiam Josephus, aut qui eum in scribendo adjuvit, hac in re, ut in aliis, nimium Ethnicis gratificatus est, dum Judæorum sententias ad eorum opiniones detorquet*. Quod sane postremum, hoc agentes de argumento, fuse nos elucidavimus in

Commentario de Futuro Sæculo ab Hebræis ante Captivitatem cognito ; *Num. XXX.*, ubi non aliam animarum migrationem Pharisæos præconceptam habuisse ostendimus , quam Justorum Resurrectionem ad Messiæ temporale Regnum , beatamque ad vitam cum Patriarchis & Prophetis , ipsoque cum Messia in terris peragendam .

XXVII.

Pharisæorum hanc fuisse mentem ut ut in dubitationem quis revocari adhuc posse tueretur , Pythagoræo tamen Dogmate actos eos fuisse ad Quæstionem de qualitate & officio Johannis instituendam , nemo sane adsereret ; Eliam quippe non fato functum existimabant illius ætatis Circumcisi , sed translatum modo , & vitam adhucdum agentem . Itaque ea in opinione relate ad ejus adventum ante Messiam erant , in qua versati fuerunt inde Christiani nominis Scriptores relate ad ejus adventum in fine Mundi ; eaque in opinione , in qua fuere posteriorum Judæi temporum , qui a Pythagoræo Dogmate sane recedentes , translatum Eliam , adventurum adhuc exspectant atque sperant . Non igitur an Eliæ animam Johannes haberet , rogavere Pharisæi ; sed an Elias ipse foret , ante Messiæ adventum in terris conspiciendus ?

XXVIII.

Nonnullos Hetherodoxos fateor, metempsychoseos hypothesi, verba Sacri Auctoris illa interpretatos : *Ipse est Elias* ; Aut erui id sane ex Tertulliano potest , ubi , Libro de Anima , Carpocratem insectatur , qui ceteris cum Hæreticis in *transanimationis* doctrina versabantur . *Spero* , inquit ille , *hujusmodi Hæreticos Heliæ quoque invadere exemplum*, *tamquam in Joanne sic repræsentari* , *ut metempsychosi patrocinetur pronunciatio Domini* : Helias jam venit , &

& non cognoverunt eum. *Et alibi*: Et ſi vultis audire, hic eſt Helias qui venturus eſt. *Numquid ergo & Judæi ex opinione Pythagorica conſulebant Joannem*, tu es Helias? *& non ex opinione divina*: Ecce mittam vobis Heliam Thesbiten? *Sed enim metempſychoſis illorum revocatio eſt animæ jampridem morte functæ, & in aliud corpus iteratæ. Helias autem non ex deceſſione vitæ, ſed ex translatione venturus eſt; nec corpori reſtituendus, de quo non eſt exemptus; ſed mundo reddendus, de quo eſt translatus, non ex poſtliminio vitæ, ſed ex ſupplemento Prophetiæ, idem & ipſe & ſui nominis, & ſui hominis*. Eam ſane fuiſſe Hetherodoxorum ejuſmodi ſententiam teſtantur quoque Hieronymus & Auguſtinus; quorum prior, *Elias*, inquiebat in Caput Matthæi XI., *Joannes dicitur, non ſecundum ſtultos Philoſophos, & quoſdam Hæreticos, qui μετεμψύχωσιν introducunt: ſed quod, juxta aliud teſtimonium Evangelii, venerit in Spiritu & virtute Eliæ, & eandem Sancti Spiritus vel gratiam habuerit, vel menſuram*. Alter vero, Quæſtione XVIII. Lib. IV. in Numeros, *Sicut*, inquiebat, *de Joanne dictum eſt, in Spiritu & virtute Eliæ; non enim anima Eliæ in eum fuerat revoluta: quod ſi quidam hæretica pravitate opinantur, quid dicturi ſunt in eo quod ſcriptum eſt*: Spiritus Eliæ requievit ſuper Eliſæum? *cum jam ille utique haberet animam ſuam: niſi quia dictum eſt de Spiritu Dei, ut etiam ille operaretur, qualia per Eliam operabatur*. Ita, inquam, opinati videntur, aut opinari potuiſſe viſi, de Johanne, Hæretici illi, qui Pythagoræum dogma tuebantur. Verum, ob id ne tantum Exegeſim hanc imaginati fuiſſe credendi ſunt, quod operam dare pergerent, ut Philoſophiæ coiret ſuæ Evangelica Doctrina? Minime ſane gentium; ſed ex eo præſertim quod Vetus Teſtamentum floccifacerent, ut ex Hiſtoria

&

& Dogmatibus eorum palam est, de quibus agimus in præsens. Itaque eorum, si quæ erant, vel hac de re futura fuissent deliramenta, oppugnavit Septimius testimoniis Prophetarum, ea ratione qua intellecta a Judæis atque a Christianis erant; ex eo videlicet, quod ex translatione venturus Elias esset, uti Circumcisi cogitabant; neque corpori esset restituendus, de quo non credebatur exemptus, sed reddendus Orbi, de quo translatus habebatur; Judæosque non ex metempsychoseos doctrina eum expectasse subjicit, sed ex Oraculo Malachiæ spondentis illum ipsum Thesbitem, sui, ut ajebat, nominis, & sui hominis Eliam.

XXIX.

Noverant sane Sacerdotes atque Pharisæi, qui Prodromum interrogaverunt, *num Elias ipse foret*? noverant, inquam, ipsum ex Zacharia & Elizabeth naturali ortu derivatum. Sed num ad metempsychosim confugiendum, quo Judæorum mentem, aut interrogationis sensum eliciamus? Quis illico non videt, nil eos aliud quæstione voluisse illa, nisi ad hominem, ut ajunt, adversus Præcursorem disputare ac consequi, nullam ipsi potestatem baptizandi nova forma novoque ritu esse, quum neque Eliam se, neque magnum illum quem desiderabant Prophetam, neque Christum esse fateri demum cogeretur? Hoc illi vero usi non fuissent ratiocinio, nisi, pro famigeratissima receptissimaque Magistrorum traditione, vel Johanni ipsi compertum esse fuissent arbitrati, Messiam a solo Elia Thesbite præmonstrandum; ab Elia Religionis restitutionem exspectandam; ab ipso novos ritus, novam abluendi formam instaurandam: expectari Prophetam adhuc illum ab universa Gente Judæorum; non quidem restituendum corpori, sed iterum terris ostendendum, ut converteret corda Patrum ad filios, & corda filio-

filiorum ad Patres, antequam adveniret dies Domini, antequam nempe Messias ipse oriretur, veniretque ad Templum Sanctum suum Dominator ille, cujus viam Thesbites ipse Præco, pro concepta Pharisæorum spe atque expectatione, rite præparasset.

CAPUT V.

De expectata in adventu Messiæ restitutione & restauratione eorum, quæ Zorobabelico in Templo desiderabantur, quæque prioris gloriam bonestaverant. Quænam illa? De adparitione Gloriæ Domini differitur, deque igne descendente cælitus ad consumenda Altaris sacrificia, Patriarcharum ætate & in Templo Salomonis. Quid Gloria illa, sive Majestatica Numinis præsentia ex Scripturis, Flavio, & Zonara. Buxtorfius, Huetius, Ligtfootes, Clericus, Schoettgenius, allegati. Reiskii, Carpzovii, Bengelii, Bebelii, aliorumque conferta in rem nostram testimonia. An dona aliqua prioris Templi in Zorobabelico perseveraverint? Uri moetus contra Ligtfootem & Prideauxium citatus. Judæorum spes de restauratione donorum prioris Templi Prophetarum Oraculis innixa.

XXX.

FUturum jam vero credebant Judæi quoque, ut ab Elia ipso Thisbite ante Messiam adparituro, *baptizarentur in Spiritu Sancto & Igni*; nempe, ut jam diximus, futurum credebant, ut miracula Sancti Spiritus, & ignis futura fuissent testatissima adventus & Missionis Eliæ pignora atque indicia; sive, ut ea ratione, qua *Baptismus* olim *in nube & in mari* signum pacti fuerat,

rat, Moyſe miniſterio, Deum inter & Populum initi; ita *Baptiſmus in Spiritu Sancto & Igne* ſignum futurus fuiſſet fœderis Deum inter & Populum Judaicum, Eliæ atque etiam Meſſiæ miniſterio, ineundi; quare ſe Perſonam Eliæ non eſſe Baptiſta confirmaret, quod ita non baptizaret, miraculis ſcilicet in Spiritu Sancto & Igne ſuum non obiret miniſterium, ſed ſolo uteretur lavacro aquæ in pœnitentiam. Verum quis nam Spiritus ille Sanctus? quis nam ignis ille, quos Eliæ adventum dignitatemque Judæis manifeſtare oportebat, & quorum uſu certiores de Eliæ reditu facti fuiſſent Phariſæi? Id ut auſpicato eruatur, & cum allegata componatur interpretatione, ipſaque ut oſtendatur evidentius, ad relatam Traditionem Judæorum iterum confugiamus neceſſum eſt, quam videlicet ex Hieronymo in medium produximus. *Traditio Phariſæorum eſt*, inquit ille loco allegato, *quod Elias adveniat ante adventum Salvatoris, & reſtituat omnia in antiquum ſtatum*. Et rurſus: *Judæi ante* ἔλευσιν *ſuum, Eliam putant eſſe venturum, & reſtiturum omnia*. Quænam autem ejuſmodi omnia, Judæorum opinione, ab Elia reſtauranda? Omnia profecto, quæ Secundo deerant Templo, quæ in eo deſiderabantur, quæque prioris gloriam præ poſterioris gloria & ὑπεροχὴν immenſum auxiſſe videbantur.

XXXI.

Res quinque enumerant Scriptores rerum Hebraicarum omnes, quibus Salomonis Templum Zorobabelico antecelluit; Urim nempe & Thummim, Arcam, Oleum unctionis, Ignem, & Spiritum Sanctum; &, ut apertius nonnulli explicant, Arcam; Rationale Judicii; Ignem divinitus ad conſumenda Sacrificia e Cælo lapſum; Gloriam Domini, ſive Nubem gloriæ ſupra Propitiatorium; Prophetiæ Spiritum, quem (uti miraculorum etiam donum) appel-

appellabant *Spiritum Sanctum*. Ita Kimchius in Caput Aggæi I.:
חמשה דברים חסרו מבית שני ארון ואורים ותומים ואש העליונה ושכינה ורוח הקדש :
Quinque res desiderantur in domo posteriori. Arca fœderis, Urim Thummimque, Ignis superior, Habitatio Divina, & Spiritus Sanctus. Quod idem, in Commentariis in allegatum Aggæi locum, a ceteris asseritur Judæorum Præceptoribus. Erant hæc igitur ea omnia, quæ restauranda ab Elia credebantur ante Messiæ adventum; pristinumque restituenda in statum; non enim modo purificaturum Eliam nothos sibi somniabant, eosque Congregationi restituturum, יטהר הממזרים (*Baby!. Kiddushin. fol. 71.*) Verum & Israëli redditurum Urnam mannæ, Virgam Aaronis, phialam aquæ, phialamque Sacri Olei, quo, uti in testimonio Tryphonis apud Justinum vidimus, ungendus erat Messias ab Elia: omnia ab eodem componenda erant in statum Messia dignum; instauranda erat, aut restauranda saltem Ecclesia; שכינה Gloria Domini, sive Majestatica Numinis præsentia erat iterum conspicienda; superior, seu Divinus Ignis אש העליונה iterum de cælo descensurus ad consumenda Altaris Sacrificia; restituendus demum *Spiritus Sanctus* רוח הקודש, donum videlicet Prophetiæ, donumque miraculorum; hæc, inquam, omnia, pro receptissima Judæorum Traditione restauranda ab Elia; quod fuse ostendit Ligtfootes, illa Matthæi enarrans: *Elias dum venerit, restituet omnia*.

XXXII.

Pulchra jam statim luce emicat *Baptismus in Spiritu Sancto & Igne* ab Elia conferendus; sive quisnam fuerit Sanctus ille Spiritus,

 quis-

quisnam ille ignis, quos certissima adventus dignitatisque suæ signa habere debuerit Elias. Spondebat itaque Johannes, mox adventurum post se, eum, cujus ope ac virtute, restituenda Judæorum in Gente erant Prophetiæ & miraculorum dona; &, quo adveniente, Divinus ignis iterum descensurus erat cælitus. Nomine revera *Sancti Spiritus* duo illa denotata fuisse apud Circumcisos dona monent Hebraizantium doctiores. Huetius Propositione IV. Demonstrationis Evangelicæ, de Libro Judithæ loquens; *Erant*, inquit, *apud Hebræos Hagiographa duplici modo: alia, quæ dictata esse dicebant per* Spiritum Sanctum, *atque hunc statuebant secundum Prophetiæ gradum ex undecim*, *&* רוח הקדש Spiritum Sanctum *appellabant*. *Hujusmodi erant Hagiographa relata in Canonem, quæ* כתובים *proprie & κατ' ἐξοχὴν dicebantur*. *Testem locupletem damus Maimonidem in More Nevochim P. II. Cap.* 45. *Verum nobilioribus Prophetiæ generibus desitis post solutam Captivitatem, eo usi sunt Judæi quod* בת כול Filiam vocis *appellant*, *& cujus uberrima occurrit in Libris Rabbinorum mentio*; *atque hujus ope alias addiderunt Scriptiones*, *& eas quidem Hagiographas*, *& a Deo inspiratas*. Buxtorfius quoque in Lexico, ad vocem כבר, de Spiritu loquens Sancto, qui deerat in Sanctuario Secundo, ex Codice Talmud Jomæ Cap. I., inquit: *Glossator addit*, *per* Spiritum Sanctum, *intelligi Spiritum*, *qui in Prophetis fuit*, *qui ab anno secundo Darii cessavit*. Schoetthenius in Horis Hebraicis ad Matthæi Caput XXII. *Judæi*, scribit, רוח הקדש Spiritum Sanctum *vocant Prophetiam*, *quam Deus Viris Sanctis olim indidit*. Divini autem veluti Spiritus nomine Prophetiam vim Ethnici ac virtutem exprimere solebant; quod ostendit Celsus Philosophus apud Origenem, Libro, quem iste adversus illum edidit,

VII.

VII.: *εἰ πῶς πνεῦμα θεῖον κατιὸν ἐκ θεοῦ προαγγέλλει τὰ θεῖα, τότ' ἂν εἴη τὸ πνεῦμα τὸ τοῦτο κηρύττον ᾧ δὴ πλησθέντες ἄνδρες παλαιοὶ πολλὰ κἀγαθὰ ἤγγειλαν*. *Si forte Divinus Spiritus ex Deo descendens Divina prænuntiat, nempe Spiritus hæc prædicans, is est, quo repleti Viri antiqui multa æque bona nuntiarunt*. Sed & Miraculorum donum nomine *Sancti Spiritus* denotari jam innuimus, & docuit aperte Ligtfootes in Harmonia IV. Evangelistarum scribens: *Phrasis hæc* רוח הקודש *vel* Spiritus Sanctus, *est mos loquendi, quo Judæi in Scriptis suis communiter & frequenter admodum utuntur, ac ab iis mutuatur, ac in eorum sensum plerumque & constanter quidem in Novo Testamento usurpatur. Ab iis itaque petenda est ejusmodi explicatio. Authores autem Judaici per eum nunquam non intellecta volunt dona Spiritus extraordinaria, quæ ipse Prophetis & hominibus Propheticis donavit, ut possent munere ad quod destinabantur, paratius fungi*. Clericus quoque Artis Criticæ Part. II. Sect. I. Cap. 5., ubi de vocabulis ambiguis fuse diligenterque pertractat; *At præterea*, inquit, *Spiritus Sanctus vocatur potestas miracula edendi, quorum multa in Novo Testamento mentio; hoc est, divinæ potentiæ effectus*. Tandem allegatus Schoettgenius in Horis Hebraicis ad Caput XIX. Act. Apostolorum; *πνεῦμα ἅγιον*, ait, *sunt dona extraordinaria Spiritus Sancti, quæ temporibus Apostolicis modo visibili effundebantur, ut ex locis aliquot Actorum constat*. Sanctum igitur hunc Spiritum, Propheticam videlicet virtutem, & miraculorum edendorum potestatem, quas post mortem Prophetarum ultimorum ab Israële discessisse adeo dolebant Circumcisi, in restauratione omnium, quæ stante adhuc Zorobabelis Templo futura credebatur, restauratas iri ab Elia expectabant.

XXXIII.

Judæorum nempe animos, poſt ſolutam Captivitatem, perpetuo ſubibat recordatio & imago veterum feliciſſimorum temporum, quibus *Domini Gloria*, Majeſtatica videlicet Numinis præſentia, gaviſi fuerant Patriarchæ & Prophetæ. Reapſe Deum illis conſpicuo adparuiſſe modo nulla ratione dubitandum, aut potius præſentiæ dediſſe ſigna, quæ, ſive in Deſerto, ſive in Monte Sina, adque Tabernaculum, & in Sancto Sanctorum, in materia aliqua ſemper fuerunt lucida, ignea, aut candeſcenti exhibita, in rubo igneo, in columna ignis, aut in columna nubis. Divinæ hujuſmodi præſentiæ adparitionem ita deſcribit Flavius Joſephus, Libro Antiquitatum Judaicarum III. Cap. 8.: Ἐπέδειξε δὲ αὐτὸν ὁ Θεὸς ἡσθέντα τῷ ἔργῳ τῶν Ἑβραίων, καὶ μὴ μάτην αὐτοὺς πονήσαντας ὑπερηφανεῖν τῆς χρήσεως· ἀλλ' ἐπεξενώθη καὶ κατεσκήνωσε τῷ ναῷ τούτῳ· τὴν δὲ παρουσίαν οὕτως ἐποίησεν· ὁ μὲν οὐρανὸς καθαρὸς ἦν, ὑπὲρ δὲ τὴν σκηνὴν μόνην ἤχλυσεν, οὐ βαθεῖ πάνυ νέφει καὶ πυκνῷ περιλαβὼν αὐτὴν, ὥστ' εἶναι δόξαι χειμέριον, οὐ μὴν λεπτῷ οὕτως ὥστε τὴν ὄψιν ἰσχύσαι τι δι' αὐτοῦ κατανοῆσαι· ἡδεῖα δὲ ἀπ' αὐτοῦ δρόσος ἔρρει, καὶ Θεοῦ δηλοῦσα παρουσίαν τοῖς τοῦτο καὶ βουλομένοις καὶ πεπιστευκόσι. *Oſtendit autem Deus ſibi gratum acceptumque eſſe hoc Hebræorum opus*; (Tabernaculum) *& non fruſtra eos laboraſſe præ ſe tulit contemptu ejus uſus: ſed acceſſit ad hanc Ædem, & in ea habitare dignatus eſt. Præſentiam porro ſuam ita declaravit. Cælum quidem purum erat & ſerenum, ſoli vero Tabernaculo incumbebat caligo, non profunda admodum & denſa nube illud circumdans, ut talis eſſe videretur quali hyeme aſſueſcebant, nec tamen rara adeo & ſubtili ut viſus eam penetraret: ſed ſuavis ab ea ros diſtillabat in argumentum Dei præſentiæ iis qui hoc volebant pariter & credebant*. Ita & Zonaras præſentiam illam hocce in

loco

loco explicat : ἔδειξε δὲ ὁ Θεὸς κατὰ γνώμην αὐτοῦ τὸ ἔργον γενόμενον, παρουσιάσας ἐν τῇ σκηνῇ. ὅπω δὲ τὴν παρουσίαν ἐδήλωσεν. ἀχλὺς ὑπὲρ τὴν σκηνὴν μόνην ἐγένετο· ὅτε βαθεῖα καὶ συμπεπλημένη καὶ νίφεσιν ἐμφερής, ὅτε πάνυ λεπτή τε καὶ ἀραιά, ὡς δι' αὐτῆς διικνεῖσθαι τὴν ὅρασιν. ἡδεῖα δὲ ἀπ' αὐτῆς ἔῤῥει δρόσος. *Oſtendit autem Deus opus factum juxta conſilium fuiſſe ſuum ; quum in Tabernaculo ipſe apparuiſſet. Sic autem præſentiam declaravit ſuam. Facta eſt nubes ſuper Tabernaculum ; quæ quidem neque denſa adeo & profunda erat, neque adeo tenuis & rara, ut per eam penetrare viſus poſſet : ſuavis vero ab ipſa effluebat ros.* Eodem modo Deum in Templo apparuiſſe Flavius Joſephus docet, Libro Antiquitatum Judaicarum VIII., Cap. 4. tum ſcilicet quum illud dedicavit Salomon ; ita quippe ille : Ἐπεὶ δὲ πάντα διακοσμήσαντες οἱ ἱερεῖς τὰ περὶ τὴν κιβωτὸν ἐξῆλθον, ἄφνω πλῆμα νεφέλης οὐ σκληρὸν οὐδ' οἷον ὥρᾳ χειμῶνος ὑετοῦ γέμον ἵσταται, κεχυμένον δὲ καὶ κεκραμένον εἰς τὸν ναὸν εἰσρρύει· καὶ ταῖς μὲν ὄψεσι τῶν ἱερέων, ὡς μηδὲ καθορᾷν ἀλλήλους, ἐπισκότει, ταῖς δὲ διανοίαις τῶν ἁπάντων φαντασίαν καὶ δόξαν παρεῖχεν, ὡς τοῦ Θεοῦ καταληλυθότος εἰς τὸ ἱερὸν καὶ κατεσκηνωκότος ἡδέως ἐν αὐτῷ. καὶ οἱ μὲν ἐπὶ ταύτης εἶχον αὐτοὺς τῆς ἐννοίας. *Poſtquam vero Sacerdotes, omnibus quæ ad Arcam ſpectabant rite conſtitutis, ex Sacrario egreſſi erant, derepente nubes conglobata, non rigida nec qualis hiberno tempore pluvia gravida conſpicitur, ſed mollis & temperata, in Templum illabitur : & tantam quidem oculis Sacerdotum caliginem offudit, ut alius alium intueri non potuerit ; omnium vero mentibus cogitationem & opinionem excitavit, Deum jam in Templum deſcendiſſe, libenterque illud in domicilium ſibi delegiſſe. Atque illi quidem hæc ſecum reputabant.* Quibus ex teſtimoniis erui videtur, claro ſub cælo nubem profundam roribus magis quam atram præſentis Numinis argumentum habitam fuiſſe.

XXXIV.

XXXIV.

Ceterum ex Scripturis apertum eſt, Deum Moyſi apparuiſſe in *flamma ignis* de medio rubo: eundemque Populo deinde exortum, venientem a myriadibus Sanctitatis, cujus a dextra Ignem fuiſſe Legis, quam in Monte Sina laturus, deſcendit *in igne*, fumo aſcendente, tamquam fumo fornacis. Quin & per Arabiæ Deſerta, in *Columna ignis & nubis* ducem ſe Populo præbuiſſe Sacra eadem teſtantur monumenta; nam tametſi Deus per ſe locum non mutet, neque motui ſit obnoxius, in ſignis tamen deſcendit, movetur, & ſiſtit ſe. Fuit autem ignis Symbolum principatus, ut qui primus & princeps inter elementa, virtute & ſplendore emineat; habituſque veteribus Hieroglyphicum doctrinæ, felicitatis, potentiæ, & gloriæ; quare puritate & claritate ſua ſignum commode viſus aliquando eſt perfectionis & Sanctitatis Dei. Hinc quum *Ignem* Divinitatis Symbolum antiquitas omnis agnoviſſet, ad inſanum ejus inde delapſa eſt cultum, cujus rei luculenta fidem faciunt monumenta.

XXXV.

Sapientiores quidem Judæi ſaniorem habebant naturæ Numinis imaginem, uti ex Joſepho liquet, Libro contra Apionem II., cujus ea ſunt verba: *Quænam vero, & cujuſmodi noſtra illa vel edicta ſunt, vel interdicta? Simplicia prorſus & illuſtria. Princeps quidem & caput omnium illud eſt, quod ita de Deo ſtatuit: Deum univerſa complecti; perfectiſſimum illum eſſe atque beatiſſimum; ſibi ipſi ac ceteris omnibus ſatis unum eſſe, principium, medium, finemque cunctorum: eundem ut operibus ac beneficiis conſpicuum, imo rerum omnium longe nobiliſſimum, ita cum natura, tum etiam magnitudine obſcuriſſimum: materiam omnem, ut genere ipſo pretioſiſſima,*

sima, vilem, si ad ejus imaginem exigatur, futuram: artem etiam omnem, si ad illius imitationem aspiret, inertem jacere; nihil ejus simile nec videri, nec cogitari posse: Hujus tantum opera sub aspectum cadere &c. τίνες ἐν ἄσει αἱ προῤῥήσεις ϗ ἀπαγορεύσεις; ἁπλαῖ τε ϗ γνώριμοι. πρώτη δ' ἡγεῖται περὶ Θεοῦ, λέγουσα ὁ Θεὸς ἔχει τὰ πάντα παντελὴς καὶ μακάριος, αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ πᾶσιν αὐτάρκης, ἀρχὴ, ϗ μέσα, ϗ τέλος πάντων· οὗτος ἔργοις μὲν καὶ χάρισιν ἐναργὴς, ϗ παντὸς ὁτουοῦν φανερώτερος, μορφὴν τε καὶ μέγεθος ἡμῖν ἀφανέστατος &c. Verum Sapientiores iidem Judæi, ratione Visionum atque adparitionum Sacrarum, lucida illa igneaque Phænomena Deum appellabant, sive Majestaticam Numinis præsentiam, ceu Deus lumine indutus fieret illis præsens; ut aiebat etiam sacer Vates, Psalmo CIII 2: עטה אור כשלמה, *amictus lumine sicut vestimento*; nam & Philosophus: *Si Deus sibi corpus adsumere vellet, certo id fore lucem*; quare & Gloria Dei a Pictoribus ut radii solares exhibetur, vel ut lumen, quia nihil in Universo est illi similius; aut fortasse quod, Antiquorum omnium opinione, Numinis adparitiones adflatusque lux, aut lumen, ignisve præcedere soleret, ut ex Jamblico patet de Mysteriis Sect. III. Cap. IV., ubi ait: *Qui autem Numen concipit, ante susceptionem videt quandam ignis speciem*. Ὁρᾶται δὲ πρὸ δεχομένῳ τὸ τοῦ πυρὸς εἶδος πρὸ τῶν δέχεσθαι. Sic Phrygii Penates, Æneidos Lib. III.

Visi ante oculos astare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine;

Et Lib. IV. ita Æneas:

Ipse Deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi:
Desine meque tuis &c.

Eze-

Ezechiel, qui Deum se non semel vidisse gloriabatur, ejus præsentiam ita describit Cap. I.: *Cum essem in medio Captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi Visiones Dei: & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens, & splendor in circuitu ejus*. Rursus Cap. VIII.: *Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum ejus, & deorsum ignis: & a lumbis ejus & sursum, quasi aspectus splendoris . . . & ecce ibi Gloria Dei secundum Visionem quam videram in Campo*. Idem Cap X.: *Et elevata est Gloria Domini desuper Cherub ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore Gloriæ Domini*; ea nempe ratione qua olim in Deserto comparere consueverat. Exodi XVI.: *Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israël, respexit ad solitudinem: & ecce Gloria Domini apparuit in Nube*. Heinc Danielis illa II. 22. ונהירא עמה שרא; *Et Lux cum eo habitat*; heincque illa Psalm. XLIX: *Ignis in conspectu ejus exardescet*. Psalm. XCVIII. *Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos; & in Columna nubis loquebatur ad eos*. Psalm. XCVI. *Nubes & caligo in circuitu ejus . . . Ignis ante ipsum præcedet*; & allusione ad adparitionem in Sina, Psalm. LXVII. *Cæli distillaverunt a facie Dei Sinai*; Psalm. CIII.: *Tange montes, & fumigabunt*. Johannes etiam in Apocalypsi, stylo ac more Prophetarum, de filio Dei I. Cap. scribebat: *Et facies ejus sicut Sol lucet in universa Terra*; Cap. II. *Habet oculos tamquam flammam Ignis*. Quum in Columna vero Nubis dicebatur adparuisse Numen, ex eo factum id interpretantur vulgares Exegetici, quod, igne licet verius repræsentaretur Deus, homini tamen, qui res divinas ratione sua cœca & imbecilli percipere non potest, nube quodammodo involutum se offerret; præ excellentia

lentia enim lucis & Gloriæ ipſius hebetarentur obfuſcarenturque adeo mortales ſenſus atque ratio, ut vice lucis tenebras & nubem veluti viderent. Arbitror magis tamen, id ex Phænomeni natura eſſe derivandum, quod videlicet ſplendori admixtam caliginem haberet aliquando, ut mox oſtenſum ex Scripturis erit; aut ex majori minorive ſacræ Nubis denſitate; ut animadvertit Johannes Reiskius in *Programmate de Nimbo Divino*. Ita & prophanos apud Scriptores repræſentantur nubes cælitus immiſſæ, uti apud Homerum, qui, Odyſs. VII., Ulyſſem neque ulli viſum inter Phæaces, neque cognitum narrat:

Οὐ γὰρ Ἀθήνη
Εἴα ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, ἥ ῥά οἱ ἀχλὺν
Θεσπεσίην κατέχευε.

Non enim Pallas
Sinebat pulchricoma, Dea veneranda, quæ ei caliginem
Divinam offudit.

Ubi Euſtathius, interpres optimus: ἀχλὺν θεσπεσίην ἐπιθετικῶς τὴν μὴ φυσικὴν ἀλλ' ἐκ θεοῦ πεσοῦσαν, ἢ θεόπεμπτον; *caliginem divinam epithetice non naturalem, ſed divinitus prolapſam, aut immiſſam* explicat. Caligo enim illa divina cum nube rationis ejuſdem eſt, ut Servius ex Homero petitum velit, quod Venus Æneæ viſa apud Virgilium, Lib. Æneid. II., præſtitiſſe legitur. Quippe ad filium ſic Dea parens:

Adſpice: Namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Similiter Minerva ad Diomedem in Iliade Lib. V.

Ἀχλὺν δ' αὖτοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν.

Caliginem rursus tibi ab oculis abstuli, quæ prius aderat. Cum ergo Venus in luce refulsisse dicatur, subdit allegatus Reiskius, *& postea nubem caliginosam, ut pateret conspectui, eripuisse, quidni lucem, nubem & caliginem uno nimbo interpretemur? Huc enim pertinet illud Servii, quo ait*, inter homines ac Deos mediam esse caliginem. *Nec aliud Scholiastes Hesiodi & Aristophanis antiquus docuit, quam quod ex Eustathio ad Homerum supra docuimus. Ita vero nimbus nubem, aut raram, aut densam continuit, prout plus minusve caliginis, & crassas, e quibus coalescebat, tenuesve particulas aïri ejusque certo spatio induxit; unde resolutus in eas iterum, & postremo denique in ventos desiit. Nubes tamen ex sive rara, sive densa fuerit, lucida nunquam non fuit, & multo cum lumine Deorum, aut Dearum capiti circumdata*. Quæ verius sacro, quo de agimus, Phænomeno aptari posse arbitramur; adeo quidem ut, in eo lucem umbramque veluti præconceptam habeamus; quibus enarrant etiam Exegetici Numinis verba Exodi XXXIII. 23.: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*; non significantia quidem humeros & tergum; sed id saltem quod post abeuntem Dei Gloriam splendoris adhuc viderit Propheta; sive posticam Divinæ Gloriæ partem nube obumbratam; quum in partem anteriorem, qua lux illa solari splendidior & purior sine nube emicabat, præ nimio fulgore, oculos Moyses figere non posset. Optime Johannes Carpzovius de *Schechina* verba faciens, in Apparatu Historico-Critico Antiquitatum Sacri Codicis & Gentis Hebrææ, pag. 766. Ignis itaque fulgentissimi jubar, inquit, cum laturus non esset oculus humanus, æque ac ad radiantis splendorem faciei Mosis hebetabatur, provide illud clemen-

tissi-

tiſſimus Iſraëlis ductor & aſſertor, denſa & opaca velavit ac circumdedit nube, ut citra mortalium noxam inter ipſos verſari, & ante ſuum incedere populum poſſet: ut liquido appareat, non univerſam ex nube & igne conflatam Columnam, neque nubem ipſam, ſed incluſum eidem ignem, præciſe auguſtum præſentis Numinis Symbolum præbuiſſe. In hoc conſentientes habemus Judæorum Magiſtros, præcipue Abarbenelem, Commentario in Exod. XL. 34. f. 224 col. 1. ubi ſcribit: הנה ומה שכבור יי׳ אינו ענן אכל הזא דברר לאש כאורו וזוהרו והענן היה סביבו כמו שהעשן הוא תמיד סביב האש וכמו שהלפידים האשיים נראים מתוך העננים היה כבוד יי׳ הרומה לאש בתוך הענן והערפל: *Ecce clarum eſt, Gloriam Domini non fuiſſe nubem, ſed rem igni ſimilem ratione luminis ac ſplendoris ſui. Nubes autem circa eum fuit, velut fumus ſemper eſt circa ignem. Et quemadmodum lampades ignitæ apparent de medio nubium, ita fuit Gloria Domini ſimilis igni, in medio nubis & caliginis*. Sed & plura equidem ſimilia Veterum prætermittimus hoc de argumento teſtimonia.

XXXVI.

Symbolum illud Divinæ Majeſtatis vocari meruit in Scripturis כבוד יהוה *Gloria Domini*, quod nomen LXX. Interpretes *δόξαν κυρίου* reddunt; aliis, ut animadvertit Vir Eruditiſſimus in notis ad Joſephi Librum Antiquitatum III., *τὸ θεῖον φῶς* appellatur, atque etiam ענן יהוא *Nubes Domini*; *Nubes glorioſa*. Proprie tamen & communiter שכינה *Divinam habitationem* lucem illam,

five nubem vocare solent Judæi; quod ex Bechai discimus in Legem fol. 100. 1. *Apparitio Majestatis Divinæ in Scriptura dicitur* כבוד יהוה Gloria Domini, *stilo vero Sapientum* שכינה Schechina: *& huc pertinent loca Exodi XXIV. 16. Et habitavit Gloria Domini in Monte Sinai*; *& Psal. LXXXV. 10. Ut habitet Gloria in terra nostra*; uti Schoettgenius refert in Horis Hebraicis ad Caput IX. Epistolæ ad Romanos; qui in Dissertatione de Hierosolyma Cælesti §. III. ita rem, qua de agimus, describit: *In Templo Hierosolymitano, nec non ante illius tempora in Tabernaculo, Arcæ fœderis & Cherubinis insidebat Schechina, hoc est, Majestas Divina, nubeculam quandam pellucidam præsentans, ex qua Deus cum Mose & summis Sacerdotibus verba fecit, & nocentes quoque igne ex illa procedente punivit. Hinc sæpenumero in Sacris* Dei & Jehovæ *nomine vocatur, prout recte observat Moncæjus in Aarone purgato. Hebræi vocant* שכינה *a* שכן habitavit, *quia Deus sub illa tamquam signo visibili inter homines habitavit.*

XXXVII.

Haud ignoramus, nonnullos *Gloriam Domini*, quam in materia lucida sive in Deserto, sive in Monte, sive in Templo, universi nudis oculis videbant, imaginatos fuisse, constitutam adparitione Angelorum, qui quum sint *Angeli lucis* & Aulæ cælestis Comites, Deus peculiariter præsens esse dicitur, quum illi adsunt; scilicet, quum Deus ipse ubique semper sit æqualiter per essentiam suam præsens; dicitur specialiter tamen præsens ubi Angelicum compareret satellitium. Heinc puteum, ad quem Angelus Agaræ adparuit, a Paraphrasta Hierosolymitano dictum animadvertunt puteum, *ubi manifestata illi fuit Præsentia Domini Majestatica*. Ita & Sanctuarium, ubi per Cherubinos Deus semetipsum exhibebat, ab

ab eodem Exodi XI. 34. dictum subjiciunt, *Gloriam Majestaticæ Domini Præsentiæ*; Sane quum Lex data est Israëlitis, quam Apostolus ad Hebræos Cap. II. fuisse ait *Sermonem per Angelos loquutum*, εἰ γὰρ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος; Deus descendisse & loquutus esse dicitur pluribus Exodi in locis. Sane dum Angeli adparuisse narrantur in Sacris Litteris, non aliqua sine luce aut lumine id factum intelligimus; ut dum in Actis Apostolorum Cap. XII. Petrus e carcere Angelorum eductus dicitur auxilio: *Et ecce Angelus Domini adstitit: & lumen refulsit in habitaculo*; καὶ ἰδοὺ, ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη, καὶ φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι. In hacce, uti inquiebam, versatos fuisse sententia nonnullos, veteresque aliquos Ecclesiæ Patres, quis ignorat? Contra sentiebant tamen Recutiti. Schemoth rabba Sect. II. fol 107. 3: *R. Jehuda Sanctus hanc observationem tradit*: כל מקום שמיכאל נראה שם הוא כבוד חשכינה: *Ubicumque Michaël adparuisse dicitur, illud semper de Gloria Majestatis Divinæ intelligendum est*. Hancque saniorum fuisse Judæorum mentem testatur Schoettgenius in Apocalypsis Caput XII.

XXXVIII.

Gloriam vero Domini, sive Præsentiam ejus apud Judæos Majestaticam frequens comitabatur Ignis alter, sive Divinus Ignis cælitus lapsus ad consumenda & voranda Altaris Sacrificia. Testis Auctor Libri II. Paralipomenon in descriptione Dedicationis Templi a Salomone factæ, præsertim Cap VII. his verbis: *Cumque complesset Salomon fundens preces, Ignis descendit de cælo, & devoravit holocausta & Victimas: & Majestas Domini implevit domum: nec poterant Sacerdotes ingredi Templum Domini, eo quod implesset Majestas Domini Templum Domini. Sed & omnes filii Israël videbant*

bant descendentem ignem, *& Gloriam Domini super Domum*. Ejusmodi in descriptione rei utitur iisdem verbis Auctor quoque Libri III. Regum Cap 8. *Factum est autem*, inquit, *cum exissent Sacerdotes de Sanctuario*, *nebula implevit domum Domini*. *Et non poterant Sacerdotes stare*, *& ministrare propter nebulam*: *impleverat enim Gloria Domini domum Domini*. Jam vero, vel ante Templi ædificationem, fuerant miris adeo consecratæ donis veterum Hebræorum victimæ; sic enim rem descriptam videmus in Levitici Cap. IX. *Ingressi autem Moyses & Aaron in Tabernaculum testimonii*, *& deinceps egressi*, *benedixerunt Populo*: *apparuitque Gloria Domini omni multitudini*: *Et ecce egressus Ignis a Domino devoravit holocaustum*, *& adipes*, *qui erant super Altare*. *Quod cum vidissent turbæ laudaverunt Dominum*, *ruentes in facies suas*. Quum David etiam Populum numerando iram provocasset Numinis; plurima icciroo percuterentur Israëlitarum millia; ipse, Deum placaturus, in Area Ornani Jebusæi, ut Libro legimus Paralipomenon I. Cap. 21., *ædificavit Altare Domino*, *obtulitque holocausta & pacifica*, *& invocavit Dominum*, *& exaudivit eum in igne de cælo super Altare holocausti*. Sacrum hoc ad Phænomenon referri potest quod Cap. VI. narrat Auctor Libri Judicum, dum scilicet Deus Gedeonem designaturus Ducem Propugnatoremque Israëlitarum adversus Madianitas, cetera inter signa, *extendit Angelus Domini summitatem virgæ*, *quam tenebat in manu*, *& tetigit carnes*, *& panes azymos*; (quæ nempe obtulerat Gedeon in sacrificium Deo) *ascenditque ignis de petra*, *& carnes azymosque panes consumpsit*. Sic, uti apud eundem Auctorem legimus Cap. XIII. dum Samson nasciturus ab Angelo prædiceretur Matri, Patrisque suo Manue, *tulit hic hædum de capris*, *& libamenta*, *& posuit*

super

ſuper petram offerens Domino, qui facit mirabilia, ipſe autem & uxor ejus intuebantur. Cumque aſcenderet flamma Altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit. Quod cum vidiſſet Manue, & uxor ejus, proni ceciderunt in terram; & ultra non apparuit eis Angelus Domini; ſtatimque intellexit Manue Angelum Domini eſſe; & dixit ad uxorem ſuam: morte moriemur, quia vidimus Deum; cui reſpondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc omnia, neque ea quæ ſunt ventura dixiſſet. Cur felix adeo Mulieris heic omen? cur auſpicatum dixit, niſi quia cælitus conſumtum eſſet, ſacrificium? Jamque initio Mundi hoc oſtendiſſe Deum pacto, accepta fuiſſe ſibi Patriarcharum Sacrificia, cum Magiſtris Judæorum ſenſere Chriſtianæ quoque Eccleſiæ Patres atque Interpretes; nempe ad illa Geneſeos IV. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus; ad Cain vero & ad munera ejus non reſpexit*; factum id igne cælitus demiſſo arbitrantur; ἐπεῖδεν, ait Bengelius, *ſigno quodam etiam in Caini oculos incurrente*; (Not. ad Hebr. XI) Iris enim, Ignis cælitus deſcendens, & Arca, veterum erant Hebræorum Sacramenta, ut recte oſtendit Baltaſar Bebelius, in Hiſtoria Eccleſiæ Noachicæ ex vetuſtiſſimis SS. Litterarum Antiquitatibus eruta, & ſuffragio Chriſtianæ Eccleſiæ illuſtrata. Heinc, ut Grotius ad allegatum animadvertit Geneſeos locum, ἐνεπύρισεν vertit Theodoſion, *inflammavit* ſcilicet, & igne cælitus immiſſo oblata conſumſit holocauſta, ſicque ea ſibi eſſe gratiſſima probavit; conſonare videtur quippe Auctor Epiſtolæ ad Hebræos XI. 4. μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, *Teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo*; communem enim & notam hoc de teſtimonio Judæorum ſententiam adducit Raſche ad Geneſis

sis IV. 4 ad verbum וישע *& respexit* : Ita ille quippe : ירדה אש וליחכה מנחתו . *Ignis descendit, & Sacrificium ejus absumsit*. Pluribus id confirmatum legimus apud Johannem Buxtorfium in ספר קבוצים Num. CXC. Ita & Cyrillus Alexandrinus Lib. I. Glaphyrorum Tom. I. Op. : Ἐπὶ μὲν τοῖς τοῦ Ἄβελ δώροις πῦρ καθεὶς οὐρανόθεν, δαπανᾶσθαι παρεσκεύασε τὰ ἱερουργήματα· ἐπὶ δὲ Κάϊν καὶ ἐπὶ ταῖς θυσίαις αὐτοῦ, οὐ προσεῖχε· Οὐ γὰρ τὸ συνηθὲς ἐπέφοιτα πῦρ τοῖς προσενηνεγμένοις. *In Abelis quidem dona ignis cælitus descendens ad oblationum consumtionem comparatus fuit; ad Cainum autem, & oblationes ejus, Deus non attendit. Non enim solitus ignis in oblata ab eo immissus*. Idem, Latinos inter Patres, apud D. Hieronymum legere est, Libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim. Quod & fecisse ignem illum, qui adparuit Abrahamo fœdus cum Domino ineunti verisimile prorsus ajunt iidem Exegetici; illarum siquidem flammarum lucem, quæ inter sectas transierunt Victimarum partes, Deum ipsum retulisse sua facientem ex parte fœdus adserunt; ignemque illum absumsisse plane Abrahami sacrificium post multas horas præparatum. Heinc votum illud in Psalmo XIX. *Memor sit omnis Sacrificii tui, & holocaustum tuum redigat in cinerem*, ועולתך ידשנה. Quare a felicissima illa Patriarcharum sorte, ab Igne videlicet eorum precibus super Sacrificia descendente, derivatam opinionem haud perperam imaginantur Eruditorum filii, vetustissimorum Victimas mortalium divinis non semel ignibus consumtas; unde orta Maronis illa, Ecloga VIII. :

Aspice : corripuit tremulis Altaria flammis
Sponte sua dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!

indeque vulgatissimum Servii in Æneidos XII. effatum : Majores

olim

ōlim Aras incendere minime adſuetos, ſed ignem divinum precibus elicuiſſe Altaria incendentem ; læta inde & fauſta omnia portendi arbitratos.

XXXIX.

Hanc igitur beatam adeo Patrum ſuorum ſortem animo volvebant recogitabantque non ſine lacrymis Judæi, qui poſt Babylonicæ Captivitatis fata ſuperfuerant. Flavius Joſephus, Libro Antiquitatum Judaicarum, XI. Cap. IV. narrata Zorobabelici extructione Templi, *At Sacerdotes*, inquit, *& Levitæ, & de familiis ii qui provectiſſimi erant ætate, Templum prius animo recolentes maximum & ſumptuoſiſſimum, novum vero videntes ita conſtructum ut ob rerum penuriam ſuperiori multum inferius eſſet, reputantes ſecum quantum ex veteri felicitate & dignitate Templi decidiſſent, triſtes erant, & non valentes intra ſe comprimere dolorem, ad ploratus atque lacrymas ferebantur*. οἱ δ' ἱερεῖς καὶ Λευῖται καὶ τῶν πατριῶν οἱ πρεσβύτεροι τὸν πρότερον ναὸν ταῖς μνήμαις ἀναπολοῦντες μέγιστόν τε καὶ πολυτελέστατον, καὶ τὸν γεγενημένον ὁρῶντες ὑπὸ πτωχείας ἐνδεέστερον τοῦ πάλαι κατασκευαζόμενον, ὅσον τῆς ἀρχαίας εὐδαιμονίας ὑποβεβηκότες καὶ τῆς ἀξίας τοῦ ναοῦ λογιζόμενοι, κατήφουν, καὶ, τῆς ἐπὶ τῷ λύπης κρατεῖν οὐ δυνάμενοι, μέχρι θρήνων καὶ δακρύων προήγοντο. Quid mœrorem ciere reipſa magis poteſt, quam recordatio & imago amiſſæ felicitatis ! Vel Gentilium recentiores, leviter etiam antiquæ imbuti Traditionis veſtigiis, vetera memorantes tempora, & auream ætatem, uti appellabant ; mutatas dolebant rerum vices, præcipue quod ſuorum Præſentia Numinum, uti videbimus, carerent, quas ſane ſi querelas, obſcura imperfectaque rerum illarum acti fide, Ethnici ſundebant, qui Numinum vim ac virtutem ſuorum in Simulacris adhuc eſſe imaginabantur; quam

H ube-

uberior fuiſſe oportebat Judæorum triſtitia poſt Captivitatem Babylonicam, qui non modo tunc *Gloria Domini* carebant, ſive Majeſtatica Numinis Præſentia, ſed cæleſti etiam Igne de cælo deſcendente; carebantque Arcâ fœderis cum incluſis Tabulis Decalogi, & Urna Mannæ cum baculo Aaronis refloreſcente. Jeremias ſiquidem, ſub Captivitatem Babylonicam, tradito tranſmigrantibus perpetuo Igne & Lege Dei, Tabernaculum, Arcam & Altare incenſi in eo monte occultaverat, ad quem aſcendens Moyſes viderat promiſſam terram, ut legimus Libro Macchabæorum II.

X L.

Nonnullos fateor hæc ſecundo ſub Templo aliqua ratione reparata arbitratos; ſed perperam & abſque idoneis momentis; ut enim recte Cl. Uriemoet in Antiquitatum Iſraeliticarum Controverſiis Theſibus, quæ Tom. Miſcell. Duisburgenſium II. editæ ſunt, animadvertebat: *Mirari licet, quomodo fieri potuerit, ut ſpeciatim reſpectu Arcæ fœderis, in errorem laberentur etiam ipſi Philologi majoris Ordinis, Lightfootus, & ſecutus ipſum Humfredus Pridoſius; non quidem ipſam Arcam priſtinam ex Babylonia rediiſſe, aliove modo reſtitutam credentes, uti levibus quibuſdam argumentis alii contendunt, ſed novam ſaltem ejus loco ſtatuentes confectam, neceſſariis in Sancto Sanctorum dicatam uſibus: quum nulla uſquam ejus in Veterum Scriptis ſit mentio, & e contrario Joſephus nihil in Sancto Sanctorum fuiſſe ſcribat; fama id inter ipſos Ethnicos confirmante. Loquuntur quidem Rabbini* in Cod. Joma, Cap. V. m. 1. (*quod mirum eſt, ab illis aliiſve Viris doctis non fuiſſe in rem ſuam aliquando arreptum,*) *de Pontifice Maximo ſolenni die Expiationis per* [illegible] *duplex, quale tantum in Templo Secundo*

cundo fuisse Judæi credunt, adpropinquante ad Arcam, & inter ejus vectes. *Sed notarunt jam ad hunc locum Gemarici*, fol 52. 2. *non aliter ista, quam* de loco, ubi quondam Arca esse solebat, & de pristino loco vectium, (*quod sane inepta adeo locutione*) *intelligi debere*. Pseudo-Josephus Gorionides quoque Lib. III. Cap. 13. narrat, recuperato repurgatoque per Judam Machabæum Templo, post preces Judæorum ignem ex lapidibus Altaris emicasse & hostias confecisse. Verum quam falso id adserat evincit satis Auctor Libri II. Machabæorum Cap. X. explicata ratione ignis in Altari accensi per lapides candefactos. πυρώσαντες λίθους, καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες: *de ignitis lapidibus igne concepto Sacrificium obtulerunt*. Carebant post Captivitatem denique Judæi Urim & Thummim, & *Spiritu Sancto*, nempe donis Miraculorum atque Prophetiæ; nam quamvis vel Assamonæorum ætate gavisos se gloriarentur inferiori illo Prophetiæ genere, quod בת כול *filiam vocis* appellabant, receptissimum erat tamen quod in Sanhedrin. legitur fol. 11. 1. ex quo tempore videlicet cesserant fatis Aggæus, Malachias, & Zacharias, נסתלקה רוח הקדש *ablatum ab Israële fuisse Sanctum Spiritum*; illud nempe Prophetiæ genus, quod Prophetas integris adflabat sensibus, nec per obscuras modo Visiones, sed per claras & apertas. Unum autem erat Circumcisis angustiarum levamen, spes scilicet, ut ea omnia tandem aliquando Secundo restituerentur in Templo ab Elia; illisve in Signis a Messia initiarentur; quare baptizaret ipse demum *in Spiritu Sancto & igne*; expectataque donorum illorum restitutio novum evaderet fœderis in Messiæ adventu renovandi signum; aut Legationis & potestatis ejus certissimum indicium.

H 2 XLI.

X L I.

Equidem Reſtaurationem illam donorum, quibus Salomonis Ædes fulſerat, Zorobabelicæ non defuturam, iis imo ampliori copia gaviſuros Judæos, aliqua ſpopondiſſe ratione videbatur Deus, ut ex Aggæi Prophetæ verbis patet Cap. II. *Quis in vobis eſt derelictus*, inquiebat, *qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jeſu fili Joſedec Sacerdos magne, & confortare omnis Populus terræ, dicit Dominus Exercituum; & facite verbum quod pepigi vobiſcum cum egrederemini de terra Ægypti; & Spiritus meus erit in medio veſtrum: nolite timere, quia hæc dicit Dominus Exercituum: adhuc modicum eſt, & ego commovebo omnes Gentes, & veniet deſideratus cunctis Gentibus, & implebo Domum iſtam Gloria, dicit Dominus Exercituum. Magna erit Gloria Domus iſtius noviſſimæ plusquam primæ, & in loco iſto dabo pacem.* Spondebat ſiquidem hoc Oraculo Altiſſimus felicitatem temporis Meſſiæ, cujus adventum Prophetico ſub involucro portendebat; unde cæleſtia Credituris dona, & novæ Legis ſplendor, & Evangelium Gratiæ, & perfectum Vaticiniorum complementum; quæ ſane omnia poſterioris gloriam Templi, præ gloria Templi Salomonis infinitum extollere debebant.

X L I I.

Non adeo erigere ſe tamen poterant aut conſueverant, poſtrema Reipublicæ tempeſtate, atque ſub caliginoſa Legis umbra, Recutitorum animi, ut de ſpirituali hac reſtauratione cogitarent. Verſabantur eorum animis perpetuo, delapſi cælo ignes; Gloria Domini in rubo igneo, inque columna nubis, aut in columna

ignea

ignea ac lucida exhibita; miraculorum denique & Prophetiæ frequentissima olim dona; quare pinguiori minerva ipsammet eorum restitutionem expectabant, quæ priore in Templo evenisse recordabantur. Illo siquidem ipso in loco, nempe Cap. III., ubi Malachias adventum Eliæ vaticinatur, & adventum ipsius etiam Messiæ, eam spondere videtur etiam Restaurationem. *Ecce ego*, inquit, *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis;* וערבה ליהוה מנחת יהודה וירולם כימי עולם וכשנים קדמניות. *Et accepta erunt Domino Sacrificia Judæ & Jerusalem, sicut diebus Sæculi, & sicut annis antiquis*; hoc est, ut Judæi intelligebant: *Tum quum venerit Elias, & præparaverit viam ante adventum Domini, Messias ipse quoque Zorobabelicum Templum illustrabit, restituetque munera Ædis Salomonis; tunc ostendet Deus* ἐμπυρισμῷ, *igne videlicet e cælo descendente, & vorante holocausta, ea non minus accepta sibi fore, quam Sacrificia Abelis, Abrahæ, Davidis, & Salomonis, quæ flammis cælitus immissis sibi esse gratissima probavit*. Sic Nehemias venturum spondebat Populo Prophetam summumque Sacerdotem, qui rursus per *Urim* & *Thummim* responsurus esset; ita denotabat videlicet Messiam. Sic Auctor Ecclesiastici ejusdem adventum a Numine implorans, Cap. XXXVI. *Congrega*, inquiebat, *omnes Tribus Jacob: ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua: & hæreditabit eos, sicut ab initio. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum; & Israël, quem coæquasti Primogenito tuo. Miserere Civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, Civitati requiei tuæ.*

Reple

Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & Gloria tua populum tuum. Sed & Jeremias ille, quem Libro Machabæorum II. Cap. 2, Judæos, de Arca effodienda sollicitos, corripuisse legimus; *Ignotus erit (Arcæ) locus*, inquiebat, *donec congreget Deus congregationes Populi, & propitius fiat. Et tunc Dominus ostendit hæc, & apparebit Majestas Domini, & Nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur .... sicut & orabat ad Dominum; & descendit Ignis de cælo, & consumsit holocaustum; sic & Salomon oravit, & descendit Ignis de cælo, & consumsit holocaustum*. In restauratione igitur Ignis de cælo descendentis, aut in uberiori ejusdem ignis frequentia; in Nube Domini, quæ *Gloria Domini* appellabatur; in donis Miraculorum & Prophetiæ frequentioribus, majorem secundi Templi gloriam sitam esse futuramque, corporali sensu, Judæi cogitabant; favere siquidem iisdem Prophetica Litera, Hebræorum præsertim phrasi, videbatur. Isaias Cap. IV. *Et creabit Dominus super omnem locum Montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte*; כי על כל כבוד חפה, *omnia iccirco Gloria Domini operiet*. Idem Cap. X.: *Propter hoc mittet Dominator Dominus Exercituum in pinguibus ejus tenuitatem: & subtus Gloria ejus succensa ardebit, quasi combustio ignis. Et erit lumen Israël in igne, & Sanctus ejus in flamma*. Quam bene cum præcipua thesi nostra, quam bene cum nostra interpretatione de Baptismate in Spiritu Sancto & Igne conveniunt ejusdem Vatis illa Cap. XL.: *Vox clamantis in Deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri: Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas; & revelabitur Gloria Domini*. Rursus Cap. LX.

Surge

Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & Gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram & caligo Populos: super te autem orietur Dominus, & Gloria ejus in te videbitur. Prophetico æque dicendi modo Præsentiam illam Dei Majestaticam spondere Baruch videbatur, Capite præsertim V. his verbis: *Exue te Jerusalem stola luctus & vexationis tuæ: & indue decore & honore ejus, quæ a Deo tibi est sempiterna Gloria; Deus enim ostendet Splendorem tuum in te ..... Adducet enim Deus Israël cum jucunditate, in lumine Majestatis suæ*. Zacharias ita sibi a Domino dictum in Visione scripsit Cap. 2.: *In Gloria ero in medio Jerusalem*. Promissam sibi hisce Oraculis restitutionem שכינה imaginabantur Judæi; quare Breschith rabba Sect 95. fol. 93. 1.: *Dixit Deus S. R. ad Abrahamum: Tu docuisti filios tuos legem* בעולם הזה *temporibus Veteris Testamenti*; אבל לעולם הבא אני בכבודי מלמד לכם את התורה. *Sed Seculo futuro, scilicet temporibus Novi Testamenti, ego in Gloria mea docebo ipsos legem*. Inde ex expectatione Judæorum illa restituendæ nubis Gloriæ, vel ex nube lucida, pro Numinis præsentia olim ab eisdem habita, orta Docti nonnulli arbitrantur Juvenalis de objecto cultus Judæorum carmina, Sermone XIV.

Quidam, sortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cœli Lumen adorant.

Neque descensurum minus sperabant Circumcisi Sacrum ignem, futuro eodem dierum Messiæ Sæculo; restitutumque iri רוח הקודש *Sanctum Spiritum*; Prophetiam nempe, & patrandorum vim prodigiorum; futurum iccirco ut ab Elia orbi restituto bapti-

baptizarentur in Spiritu Sancto & Igni, pro recepta Magistrorum Traditione expectabant; ceu ubicumque Deum invocarent, statim sacra meteora comparere debuissent, cælestis etiam ignis quotidie esset descensurus; undiquaque cincti, involuti & circumdati portentis & prodigiis, reverso Elia, esse debuissent; quare factum, ut voce Βαπτίσει, pro eorum Traditione, Christi Præco uteretur, quæ cum illorum spe consonabat vehementer; hancque habet aliquando propriæ significationem, Plutarchus in Galba, obæratum appellavit Βεβαπτισμένον ὀφλήμασι, *coopertum quasi ære alieno*, aut, ut Græci dicunt, πόνοις ὑπερβάλλουσι Βαπτίζεσθαι, *laboribus supra modum circumdari*; deque Israëlitis, aquis Idumæi maris in trajectione undequaque cinctis, dixisse vidimus Apostolum, ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ Θαλάσσῃ fuisse eos in nube & mari baptizatos; uti *baptizatos* igneis Linguis Apostolos die Pentecostes, iisdem videlicet cinctos obvolutosque, docuisse Cyrillum Hierosolymitanum, videbimus in loco.

X L I I I.

Sed cur nam, inquies, in Promissione illa a Præcursore facta; de solis dicitur *Spiritu Sancto & Igne*, non vero de ceteris etiam, quæ Templo Zorobabelis deerant, de Urim videlicet ac Thummim, deque Arca, denique de Majestatica Domini Præsentia; quare *Baptismate in Spiritu Sancto & Igni* denotari existimare debeamus restitutionem omnium donorum, quibus tunc carebant Circumcisi; aut ab Elia restituto restituta iri etiam omnia?

X L I V.

Nisi me fallit animus, solutu facilis nodus erit, si heic perpendimus, cum cetera dona in duobus illis *Sancti Spiritus & ignis* veluti involvi, tum Eliam etiam, dum sub Achabo viveret, di-

vinum

vinum e cælo ignem evocare ſolitum fuiſſe; tum denique donis Miraculorum atque Prophetiæ mirum in modum præſtitiſſe. Primum illud quidem certiſſimum videtur, quum doceat Maimonides, Zorobabelico ſub Templo fuiſſe Urim quoque & Thummim, Rationale videlicet Judicii; non conſultum tamen eo temporis a Pontificibus, quod carerent dono Prophetiæ. *Fecerunt*, inquit, *ſub Secundo Templo Urim & Thummim*, loco veteris Oraculi, per excidium ante Captivitatem Babylonicam deperditi, *ut complerentur* Pontificis *veſtes octo*; *idque etiamſi*, ut Oraculum, *non conſuleretur*. *Et quare non conſulebant eos? Quoniam ibi neutiquam erat Spiritus Sanctus. Et Sacerdos nullus, niſi loqueretur ex Spiritu Sancto, ac haberet Majeſtatem Divinam quieſcentem ſuper eo, erat conſulendus*. עשי בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנה בגדים ואע"פ שלא היו נשאלין בהן ומפני מה לא היו שאלין מפני שלא היתה שם רוח הקודש וכל כהן שאינו מדבר ברוח הקודש ואין שכינה שורה עליו אין נשאלין בו: (Halach Celi Hamniskdash Cap. X. §. 10.) Spiritus igitur Sanctus, hoc eſt, præſtantiſſimum Revelationis donum, & Gloriam ſecum Domini ferebat, ſive, opinione Judæorum, Majeſtaticam Numinis Præſentiam. Spiritus Sanctus vim ac virtutem Rationali Judicii conferebat; eoque reſtituto, cetera univerſa prioris Templi decora & dona reſtauranda quoque credebantur. Heinc eſt, niſi valde fallimur, apud Evangeliſtas Marcum & Johannem, ubi ea, qua de agitur, Oratio Baptiſtæ memoratur, ſolam *Sancti Spiritus*, nullam *ignis* fieri mentionem, uti apud Matthæum atque Lucam; quod reſtituto nempe, uti imaginabantur, Eliæ ope San-

cto Spiritu, Gloria etiam Domini rursus adparitura, & sacer quoque ignis ad consumenda denuo Sacrificia rursus descensurus crederetur.

X L V.

Præstitisse Eliam vero, antequam raperetur, Prophetiæ ac miraculorum donis, sacrumque e cælo non semel devocasse ignem, dubitandum non est. Equidem mirati sumus vehementer, Basnagium in Annalibus Politico-Ecclesiasticis ad A. D. XXIX., ubi de Eliæ nomine Johanni tributo a Malachia disserit, eo processisse, ut fidentissime assereret, Eliam Thisbitem, verum nempe qui sub Achabo floruit, Eliam, numquam in Sacris Literis fuisse Prophetæ titulo donatum. *Ex Malachia*, inquit ille, *ut ut umbris figurisque Oraculum ejus* (Johannis) *involvatur, si quærimus qui appellatur Elias, remoto utcumque ambiguo, ostendit ab Elia, qui regnante Achabo floruit, illum esse diversum. Elias Thisbites Magnus ille, Prophetæ tamen nomen in Vetere Testamento nunquam sortitur, ut Scripturam evolventi constabit. Ideo factum putamus, quo indicaretur, de Elia Thisbite Malachiam non esse capiendum, qui Prophetæ titulo Eliam illum ornet, quem pollicebatur; qua tamen dignitate Elias Thisbites nunquam insignitus fuit*. Mirati, inquam, fuimus, qui tanto Viro audax adeo sententia excidere potuerit. Num Propheticum vitæ genus sectatus non est Elias? Num ex ejus Actis non aperte patet, ipsum Prophetæ munere egregie defunctum? Num revelatam sibi a Deo voluntatem hominibus non patefecit? Num mandata a Deo accepta inter eos exequutus non est? ob quæ profecto nonnullos נביאים nomine donabant veteres Hebræi. Num illa fortasse obscura Libri Regum III Cap. XVIII. 22.: *Et ait rursus Elias ad Populum: Ego remansi* נביא *Pro-*

Propheta Domini solus ? Num illa fortasse obscuriora ejusdem Capitis commate 36. : *Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum*, *accedens* אליהו הנביא *Elias Propheta ait &c.* ? Libro Paralipomen. II. Cap. XXI. 12. : *Allatæ sunt autem ei Literæ* מאליהו הנביא *ab Elia Propheta*. Non ignoramus, agi hic de impio Joramo Rege, Josaphati filio & successore, cui ob fratres interemtos, idololatriam, sceleraque alia admissa, gravissimum intestinorum morbum integro biennio duraturum, tandemque miserabilem ex hac vita exitum interminari dicitur Propheta. At vero quum Elias superstite adhuc Josaphato (quod ex posteriore Regum Libro patet) inter mortales versari desierit, eo nonnulli devenere ; ut dicerent, alium hic & diversum a Thisbite, intelligendum ejusdem nominis Eliam ; quo fieret, nullius adversus Basnagium ponderis esse allegatum testimonium. Eo non esse tamen deveniendum ostendit Johannes Buxtorfius in Libro inscripto ספר קבוצים, sive Catalectorum Num. LXXXVII., & verisimile fuisse evincit, Eliam Thisbitem, donec in vivis erat, ברוח הנבואה *Spiritu prophetico* prævidisse flagitia post aliquot annorum spatium a Joramo perpetranda, ideoque Epistolam de pœnis illa consequuturis monente Deo exarasse, opportuno deinde tempore ab aliquo successore suo Joramo exhibendam. Non longe abesse subjicit hanc Kimchium a sententia, nisi quod existimet, Eliam ipsummet Epistolam non scripsisse, sed argumentum Epistolæ dumtaxat, antequam raperetur, cuidam Prophetarum indicasse. Ejus verba hæc sunt : ויבא אליו מכתב אליהו הנביא , זה היה אחר שעלה וענין זה כי נגלה אליהו ברוח הנבואה לאחד מן הנביאים ושם

בפץ דברי המכתב הזה , ואמר לו שיכתבם במכתב , ויביא המכתב ליהורם , ויאמר לו שזה המכתב שולח אלע אליהו כדי שיחשוב יהורם שזה המכתב בא לו מן השמים , ויכניע לבבו וידע כי רעה גדולה עשה ; *Et venit ad eum Epiſtola Eliæ Prophetæ . Accidit hoc poſtquam aſcendit Elias , nam quod ei de impietate Jorami per Spiritum Prophetiæ revelatum erat , communicavit cum quodam Prophetarum , ejuſque ori indidit verba Epiſtolæ hujus , ut ea literis mandaret , eaſque ad Joramum perferret , dicendo, haſce literas ei mittere Eliam , ut nempe Joramus in eam induceretur cogitationem, quaſi literæ hæ ei de cælo miſſæ fuiſſent ; atque ſic corde humili & contrito crimina admiſſa agnoſceret .* Quæ equidem in re ſaniorem Kimchium plurimis ex ſua Gente animadvertit Buxtorfius , aſſerentibus Eliam ſeptem poſt raptum annis haſce ad Joramum dediſſe Literas de cælo . Sed iterum ad teſtimonia de Prophetico munere Eliæ . Joſephus Antiquitatum Judaicarum Lib. VIII. Cap. 13. ita de Elia : *Vates igitur quidam ſummi Dei , ex Thesbona Galaaditis Regionis urbe Achabum adiit &c.* Προφήτης δέ τις τοῦ ἐκ πόλεως Θεσβώνης τῆς Γαλααδίτιδος χώρας , προσελθὼν Ἀχάβῳ . Quin & Ligtfootes in Harmonia IV. Evangeliſtarum Parte N. teſtimonium adfert R. Samuelis Lanjado in Commentario ad II. Regum , 2 , quod eſt ejuſmodi : *Elias tanto erat vaticinandi dono imbutus , ut ejus ope vaticinati ſint ex filiis Prophetarum non pauci . Dicunt noſtri 6. m. quod Elia nondum ſublato, Spiritus Sanctus Iſraëli conſuevit . . . Ut aſſumptus erat* (נגנז) *Elias , Spiritus Sanctus ab iis poſtea diſceſſit , quemadmodum legimus &c.* Sane Prophetæ nomen tanta conſenſione nunquam Judæi veteres ac recen-

centiores nunquam cum Latini, tum Græci etiam Ecclesiæ Patres, nunquam Scripturarum Interpretes omnes Eliæ tribuissent, nisi sibi fuisset persuasum, Eliam Thisbitem Magnum illum, Prophetæ apertum nomen in Scriptis Testamenti Veteris fuisse sortitum. Nonne hoc ipsum satis innuit Auctor Libri IV. Regum Cap 2. ubi Elisæi postulationem retulit ita Eliam deprecati: *Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus?* Juxta clarissimorum siquidem opinionem Interpretum, de Prophetico loquebatur tunc Elisæus Revelationis Spiritu ac dono, deque dono miraculorum patrandorum. Superbum id quidem hunc duxit ad locum Grotius; quare postulasse verbis illis Elisæum asseruit, ut Primogenitus esset inter Discipulos Eliæ, quum Primogenitis, ex Hebræorum Jure, duæ de hæreditate dari solerent partes, dum ceteri ferrent singulas; accedente præsertim voce פי; quæ pro *portione* in Deuteronomio sumitur & apud Zachariam, ubi de Primogenituræ Jure sermo. Ut ut posteriora hæc tamen missa veluti faciamus, liquidum est, Eliam fuisse in Scripturis Prophetæ titulo apertissime ornatum; Prophetamque Magnum & Maximum sequioribus a Judæis habitum. Quibus sane præconceptis, quid mirum, eosdem, magnifice adeo de Prophetico Eliæ dono sentire adsuetos, eum, quem ante Messiam adventurum, restiturumque omnia expectabant, Prophetiam maxime restauraturum credidisse, proindeque, pro recepta Magistrorum Traditione, fuisse consequutos, Revelationis donum, quod eo discedente discesserat, eo redito reversurum, futurumque Legationis & dignitatis ejus signum atque indicium?

XLVI.

Miracula & prodigia ab Elia perpetrata celebrant Sacræ Utriusque Testamenti paginæ. Auctor præsertim Libri III. & IV. Regum,

gnum, & Apoſtolus Jacobus in Epiſtola Catholica Cap. V. ſcribens: *Elias oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum oravit: & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum*. Celebrant & Sancti Patres, Petrus præſertim Damianus, Sermone XVIII., inquiens: *Perpendo hunc miræ virtutis Virum, ignem de cælo trahere, & ſecundo quinquagenarios Viros cum ſuis ſequacibus petitione ſubita concremare; verbo cælos ad pluvias aperire; mortuos ſuſcitantem; ventura quoque Prophetiæ Spiritu prævidentem .... Tu es Elia, qui verbo clauſeras Cælum, & fraudaveras imbres; qui mandaveras aëri & divinos ignes eduxeras; qui falſos ſalubriter interfici juſſeras Sacerdotes; qui dixeras:* Vivit Dominus, ſi erit pluvia, aut ros, niſi in verbo oris mei; *qui domum Viduæ ſpicarum aream, & torcular feceras olei &c.* Maximum tamen prodigiorum Eliæ, fuit cæleſtis Ignis Evocatio ad conſumendum holocauſtum. Inſigne felixque facinus narrat Auctor Libri III. Regum Cap. XVIII. In Idololatriam, ut ſæpe alias, regnante Achabo, lapſus erat Iſraëliticus Populus: quum Legis ac Divini cultus ardore actus intenſiſſimo Elias, *accedens ad omnem Populum ait: Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Ego remanſi Propheta Domini ſolus: Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta Viri ſunt. Dentur nobis duo Boves, & illi eligant ſibi bovem unum, & in fruſta cædentes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam Bovem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam. Invocate nomina Deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus*. Aquievit dicto Populus, aquiëverunt & Idololatræ Prophetæ, qui, præparato

rato

rato Sacrificio, invocaverunt *nomen Baal de mane usque ad meridiem, & non erat vox, nec qui responderet .... Postquam autem transiit meridies, curavit Elias altare Domini .... fecitque aquæductum .... & currebant aquæ circa altare, & fossa aquæductus repleta est. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac & Israël, ostende hodie, quia tu es Deus Israël, & ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc; Exaudi me Domine, exaudi me, ut discat Populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam quæ erat in Aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis Populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Ex insigni adeo prodigio, hocce ex signo Eliæ precibus concesso, videt statim quisque per se, cur, dum venturus ipse, Judæorum opinione, ante Messiam foret, & restituturus omnia in antiquum statum; baptizaturus etiam diceretur in Spiritu Sancto & igni. Nempe restauraturus credebatur ignem, ut olim, de cælo descendentem ad consumenda Zorobabelici Templi sacrificia. Specialis hæc scilicet ejus videbatur virtus ac potestas, & ad ignem cælitus impetrandum præsentissima videbatur precum ejus efficacia. Descenderat jam equidem vetustissimis temporibus e cælo flamma, ad Abelis atque Abrahami devoranda holocausta: descenderat divinus ignis ad comburendas Davidis victimas, ejusque filii Salomonis in dedicatione Templi: verum descenderat tunc sponte, ut ita loquar, sua, non eorum devocatus precibus. Elias contra, spe nixus ingentissima, adventurum ignem spondet omni populo, consumturumque oblatum a se Deo Israëlis sacri-

sacrificium. Itaque, *esto nunc Sol testis*, pæne inquit, *& hæc mihi terra precanti; testis esto universus Israëlitarum populus, audire verba hæc mea rerum Genitorem omnium, qui fœdera lumine sancit*. Cælestem inde evocare pergit ignem, illum impetrat atque obtinet, neque semel, sed iterum & tertio, ut denique dicemus. Legebant illustre facinus Annalibus mandatum suis soluta Captivitate Recutiti; illud memorabant animisque recogitabant frequentissime: longe lateque se per ora omnium diffuderat ignis Eliæ precibus e cælo devocati fama; quare, ut Herbelotius monuit in Bibliotheca Orientali pag. 401. & 952., ex eoque Calmetus Lexico in Biblico, affirmarent Persarum Magi, Zoroastrem, quem Præceptorem venerabantur suum, Eliæ Prophetæ discipulum suisse, vel saltem Patres suos fuisse a Discipulis utriusque Prophetæ Eliæ & Elisæi institutos; neque id alia de caussa a Persis excogitatum subjiciunt iidem Scriptores, nisi quod Elias ignem deduxerit e cælo, quum ejusdem cultui cetera addicti fuerint memorati Zoroastris sectatores. Quum igitur Eliam Prophetarum aut Prophetiæ Coriphæum imaginarentur Pharisæi, ipsumque magnum cælestis devocatorem ignis rediturum expectarent ad restauranda quæ post Babylonicam Captivitatem defecerant charismata; baptizaturum eum inde Circumcisos inferebant in Spiritu Sancto & igne; futurum ut haberet nempe רוח הקודש *Sanctum Spiritum*, Prophetiæ scilicet ac Miraculorum dona adventus ac Majestatis suæ signa.

CA-

CAPUT VI.

Nil aliud fuisse ostendimus Baptismum in Sancto Spiritu & igni, de quo Johannes, quam restitutionem donorum prioris Templi a Judæis in Messiæ adventu expectatam. Ejusmodi restitutionem non ab Elia, sed a Christo verius præstandam. Mens Baptistæ ceterorumque Judæorum de restauratione illa. Juliani Augusti ea de re opinio. Quonam modo prioris Templi dona adveniente Messia reapse erant restauranda. Honorius Regius allegatur. Burnetius cum Judæis, qui proxime ante Christum vivebant, egregie confertur. Restitutionis illorum donorum decentia & veluti necessitas ostenditur.

XLVII.

JAm vero, ut ad id, unde interpretationem loci auspicati sumus, revertamur; quum ea in sententia essent ætate Christi Pharisæi, venturum ut Eliam expectarent, futurumque crederent, ut omnia in antiquum ab eo restituerentur statum; quare iterum conspicienda foret Majestatica Domini Præsentia שכינה, in nube, ut olim, vel in igne, aut in columna lucis: Spiritus Sanctus רוח הקודש non per obscuras Visiones, sed integris sensibus Prophetas iterum fuisset afflaturus; ignisque superior אש העליונה, seu divinus, descensurus esset iterum de cælo, & Eliæ reditum ostensurus; quum huic Prophetæ tribuere soliti fuissent etiam, quæ propria Messiæ erant; imo Prophetam ipsum cum Messia sæpenumero confunderent; dicente Tertulliano, Lib. adversus Marcionem III. *Denique, ad hodiernum, Christum* (Judæi)

ſperant, *non Jſum*; *& Heliam potius interpretantur Chriſtum*, *quam Jeſum*; quem errorem Recutitis aſſerebat Anaſtaſius etiam Abbas in edito adverſus Judæos Libro, ubi illa habet: *Quod autem alius ſit Chriſtus*, *alius Elias*, *perſpici poteſt ex interpretatione Danielis Regi Babyloniorum &c.* Heinc Judæi illius facinus, qui Eliæ altare erexit; quare notatus a Gregorio Pontifice, ut habemus Libro ejus II. Epiſt. 57. Nonnulli certe Judæorum, ſimul non modo Eliam Meſſiamque advenire debuiſſe ſibi perſuaſerant, ſed utraſque inter perſonas majorem præconceptùm habuiſſe nexum videbantur. Narrat Sulpicius Severus in Vita B. Martini, *fuiſſe in Hiſpaniis juvenem*, *qui cum ſibi multis ſignis auctoritatem paraviſſet*, *eouſque elatus eſt*, *ut ſe Heliam profiteretur*. *Quod cum plerique temere credidiſſent*, *addidit*, *ut ſe Chriſtum eſſe diceret*: *in quo etiam adeo illuſit*, *ut eum quidam Epiſcopus*, *nomine Rufus*, *ut Dominum adoraret*: *propter quod eum poſtea ab Epiſcopatu dejectum vidimus*; quod etiam confirmare videtur Fl. Jul. Dexter in Chron. A. C. CCCCXXXIV., hiſce, inquam, in opinionibus quum verſarentur Circumciſi, factum inde, ut, quum Johanni dixiſſent: *Quid ergo baptizas*, *ſi tu non es Chriſtus*, *neque Elias*, *neque Propheta*? Præcurſor, qui interrogantium Phariſæorum traditiones & præconcepta noverat, eorum ut interpretationis relate ad Oraculum Malachiæ falſitatem oſtendere pergeret; idcirco, quantum ratio temporis ferre poterat, Traditionem illam emendaret, verumque eam ad ſenſum, veram ad intelligentiam retraheret; quare cognoſcerent Diſcipuli, non ab Elia, ſed a fortiore ac potentiore alio, a Meſſia nempe, reſtitutionem omnium expectandam; hæc, uti ex textu, verba regeſſiſſe dicitur: *Ego quidem baptizo vos in aqua*: *qui autem poſt me venturus eſt*, *cujus non ſum dignus*

cal-

calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Quod idem, hebraica phrasi atque præconcepta Pharisæorum opinione erat, ac si dixisset: *Ipse, fateor, Elias Thisbites non sum, aut Propheta ille Magnus, quem jamdiu expectatis; non sum utique Messias; sum Elias modo mysticus ac typicus, sum Spiritu ac virtute Elias; ille sum revera, cujus est viam Domini præparare: quod aqua ablutione præstare pergo: Erratis sane, si confiditis Eliam personaliter venturum; sique ipsum restituturum creditis Prophetiæ ac miraculorum donum, Ignem de cælo descendentem, & Majestaticam Domini præsentiam, cetera quæ dudum desideratis. Jam medius vestrûm stetit, quem vos nescitis. Ipse est utique me fortior atque excellentior; ipse est, qui post me Eliam mysticum venturus est, quique ante me factus est; ad ipsum revera restauratio omnium pertinet in antiquum statum; ipse cum Arcam, tum Prophetiæ etiam & miraculorum dona, Gloriamque Domini, sive sensibilem & Majestaticam Numinis præsentiam Populo restituet; ipse descendere faciet ignem de cælo; ipse, inquam, mox post me adventurus Messias Christus.*

XLVIII.

Non vacat hocce in loco inquirere, an Johannis mens restitutionem Arcæ veteris proprie respexerit, & Pectoralis Judicii, Gloriæque Domini, & ignis de cælo labentis ad consumenda Altaris holocausta; horum restaurationem, inquam, an Johannes ex opinione Pharisæorum respexerit, aut spiritualem restaurationem potius & mysticam, Ecclesiæ nempe Christi institutionem; quum enim vel Apostoli, ante Messiæ Ascensionem, animos adeo extollere soliti non essent, ut Christo etiam prædicante spiritualem illum inducendum rerum statum probe præconciperent; inde pos-

ſet jure dubitari de mente Præcurſoris ; præſertim quod ejus miniſterium Oeconomia foret Legem inter & Evangelium media ; Evangelii præludium quidem , non tamen eſſet Evangelium ; diſpenſatio eſſet Vetus inter & Novum Teſtamentum comparata; diluculare lumen appellari jure poſſet , Moſaica quidem lucidius nocte , luce tamen Evangelica obſcurius . Haud ignoramus quidem, pleraſque Judaicas Traditiones veræ & antiquæ Judæorum Theologiæ , ætate illa , reliquias fuiſſe : illam vero Theologiam verbis ſymbolicis , allegoricis , & metaphoricis conſtaſſe ; cujus loquutiones retinuerunt aliquando Scriptores Novi Teſtamenti , Auctorem præſertim Apocalypſeos ; quas tamen qui craſſe & corporaliter interpretari pergerent Chriſtiani , in tanta nunc luce , profecto inexpiabiliter errarent . Hæc haud ignoramus quidem ; ſed neque illud tamen , Judæos , propter adparitiones Dei ſæpius repetitas, ceteraque, quæ in Annalibus reperiebant ſuis, chariſmata atque ſigna , totos in typis fuiſſe , craſſiſque in ejuſmodi idæis ac figuris ; inque iiſdem Religionis reſtitutionem collocaſſe . Sane ſi negaſſet Chriſti Præco , vetera dona eo reſtituenda fuiſſe modo , quo in Æde fulgebant Salomonis ætate illius, quem prædicabat mox venturum , de illius dignitate perperam ſentire ſtatim perrexiſſent Circumciſi ; qui non aliud notius Meſſiæ indicium noverant reſtitutione illa veterum donorum . Quamvis igitur Spiritualem Eccleſiæ reſtaurationem ſub involucro portendere Johannes voluiſſet ; uti eum tamen ſpe ac Traditione Judæorum oportebat , quibus rite Meſſiam oſtendere valeret ; præſertim quum latere ipſum antiquis ex Vaticiniis , exque Prophetiæ dono , numquam poſſet , uberiora inſignioraque Chariſmata in Chriſti Legatione fore conſpicienda ; neque futuram minorem , gloria Templi Salomonis , poſte-

ſterioris Ædis gloriam. Quare, vel ſi præconceptum habeamus, ipſum de præſtantiore reſtitutione cogitaſſe, in eoque Apoſtolis præſtare potuiſſe, inferendum adhuc tamen, promiſſionem Baptiſmatis in Spiritu Sancto & igne, qua Judæorum animos mulcebat, poteſtatem illam denotaſſe Chariſmatum reſtaurandorum, quam Eliæ, ejuſque adventui Circumciſi aſſerebant; quamque potiore jure futuram ſpondebat Johannes in Meſſia, a quo revera præſtantiore quodam modo reſtituta dona illa & Chariſmata fuerunt.

XLIX.

Diximus præſtantiore quidem modo; nam etiamſi *Gloria Domini* vere, ut olim, in Chriſti adventu non ſemel conſpecta fuerit, proprieque reſtitutus fuerit *Spiritus Sanctus*, donum nempe Miraculorum & Prophetiæ, in Eccleſia; licet imo deſcenderit divinus ignis; non ad comburenda tamen Altaris holocauſta; quare Julianus Apoſtata, ut apud Cyrillum patet Libro contra ipſum X., objiceret Chriſtianis, Servatoris tempore *ignem non deſcendiſſe ad conſumendas victimas, ut Moſis ætate, & rurſum multo poſt, Elia Thesbite floreſcente*: πῦρ γὰρ, φησιν, ὁ κάτησιν ὥσπερ ἐπὶ Μωσέως ἐγένετο, κ' ἐπὶ Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου πάλιν μετὰ πολλοὺς χρόνους. Qua ſane in objectione præconceptam vides ſpem, doctrinam, atque Traditionem reſtitutionis donorum prioris Templi, Meſſia adveniente complendam; Auguſtus enim, ut aliis adparet ex objectionibus, quomodocumque a Patribus efferantur, ad hominem, ut ajunt, & ex Scripturis argumentari geſtiebat. Deſcendit igitur, Meſſia orbi conceſſo, divinus e cælo ignis, quem Moſaica tamen incendere non oportebat ſacrificia; in nova ſiquidem mox inſtituenda Oeconomia aberat adeo, ut revera reſtauranda & ſecundo reſtituenda in Templo eſſent ea omnia quæ prioris gloriam honeſtaverant;

rant; quin Templum fatius ipfum delendum atque evertendum foret penitus, neque lapis ejus relinquendus fuper lapidem; iccirco, uti abolenda erant legalia Judæorum Sacrificia, ita neque ignis expectandus iterum de cælo, qui ea incenderet atque devoraret; neque rurfus prophetandum de Meffia, completis ejus adventu Prophetarum Vaticiniis. Quum Judæorum in Gentem tamen inducenda primum effet hæc nova Oeconomia, fuadendumque eifdem foret, in Veteri infitam inoculatamque eam effe; quumque nexus duo inter Fœdera, vel duas οἰκονομίας, intercedens alta eorum effe mente reponendus; nec nifi poft Chrifti mortem, miramque ejus fulgentiffimam Adfcenfionem in cælum, honefto funeri danda effet vetus Difpenfatio; inde factum oportebat, ut fe fe ad imbecillitatem Judæorum clementiffime temperaturus Divinus Spiritus, per Judaica quædam emblemata & figna, aut per miracula quædam prodigiis Templi Salomonici fimillima, lac Infantibus præberet, atque vel complemento quodam, non veterum modo Oraculorum, fed & illarum Traditionum, quas e Scripturarum interpretatione Magiftri Judæorum utcumque invexerant, Meffiam adveniffe confirmaret. In Traditione fiquidem Pharifæorum illa de reverfuro Elia & reftauraturo Phænomena facra & Charifmata, diftinguamus operæ pretium eft, quid cum veritate confonaret, quidve adjectum & interpolatum in ea foret. Ut Eliam modo typicum fpoponderant vera Vaticinia, ita expectatio ipfiufmet Thisbitis cum ea conferri poterat, de qua Honorius Reggius, in Notis ad Vitam B. Martini a Sulpicio Severo confcriptam, eorum fcilicet, qui, fuis prope temporibus, *in Anglia expectabant Apoftolum Joannem, quem adhuc vivere credebant, & brevi compariturum ut Ecclefias reftitueret. Alii dicebant eum jam*

in

in Suffolcia conspectum; alii in Transylvania hærere &c. Eo, inquam, loci erant Circumcisi Eliæ personam ante Messiæ adventum exspectantes. Non eadem ratio tamen de exspectatione cælestium signorum & Charismatum; nam etsi eo præcipue tenderent sacrorum effata Prophetarum, ut Symbolorum sub involucro spiritualem & mysticam restaurationem potius, institutionem Christianæ videlicet Ecclesiæ portenderent; frequentes adhuc tamen adeo fuerunt in donorum prioris Templi promissione, eamque vocibus adeo propriis & apertis sæpenumero significaverunt, ut jure viderentur aliquo posteriorum Recutiti temporum restitutionem ejusmodi expectasse, dum tandem Messias advenisset, cujus Legationis indicia & signa, dona illa constituta credebantur. Ea illi in sententia erant, in qua nostris prope temporibus versatus est Burnetius, qui ex crassa interpretatione Oraculorum, quæ restitutionem veterum Charismatum spondebant, *de futura* egit *Restauratione Judæorum*, quam eo eventuram speravit pacto, quo præconcipiebatur olim a Judæis, venia utique dignioribus quod Evangelica luce nondum eo temporis orta caruissent; cui oculos mentemque claudere voluit Anglus Scriptor. Erat igitur in Traditione Judæorum, quod cum veritate pugnabat quidem; sed & erat aliquid etiam, quod innocue confirmari a Johanne poterat, imo etiam oportebat. Illo siquidem diluculo, illisque in præludiis, quibus aliquid præconceptis tribuendum esse videbatur, nobilissimæ quædam se se visendas præbuerunt figuræ & imagines, uti dum Christo vita functo, *velum Templi scissum est in duo, a summo usque deorsum*; (Marci XV. 38.) quo significaretur, ait S. Leo Pontifex Serm. VIII. de Passione Domini, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recessisse. Itaque, Messia orbi ostenso, etiamsi

Arca,

Arca, Urim Thummimque aut deductum illo ex Pectorali Propheticum Responsum ea ratione non apparuerint qua priore in Templo; neque eo fine descenderit sacer ignis ut voraret holocausta; certum adhuc tamen est, aliquid ejusmodi simile fuisse visum ab ortu & prædicatione Christi, ad plenam usque consumatamque Novæ Oeconomiæ intelligentiam, quare consequi Judæi possent, ii præsertim, qui in Traditionum complemento toti erant, venisse jam Messiam, quod fuissent præstantiore restituta modo nobiliora Charismata, quæ post Captivitatem Babylonicam ablata querebantur.

L.

Rem ita reapse, uti Baptista portenderat, evenire debuisse plura postulabant. Quî fieri enim poterat, ut Johanni fidem habuissent, indicia scilicet adpárituri mox Messiæ digito veluti monstranti, nisi talia demum indicia præsetulisset, qui statim venerat Messias? Quum ejus igitur nota, character, signum, uti ex Judæorum Traditione, futurum fuisset Baptismus in Spiritu Sancto & igni; quumque, nostram juxta Exegesim, haud aliud esset ille, nisi donorum prioris Templi restitutio; heinc operæ pretium nunc est, ut ea ratione, qua id effici opus erat, ne Johannes temere restaurationem illam spopondisse videretur, ita & eam evenisse revera ostendamus; Christo nempe terris concesso restituta præstantiora dona, quæ in Messiæ adventu Judæi exspectabant; quo scilicet Ipsum revera in Spiritu Sancto & igni baptizare perrexisse consequamur.

CA-

CAPUT VII.

Commentum Burnetii de milleni Christi & Justorum in terris regno, deque futura restauratione Judæorum, quantum quantum est, innixum promissioni restitutionis veterum Charismatum, sive donorum prioris Templi; erutumque ex promissione Eliæ, ceu personaliter venturi ante Christum: quæ omnia futura conflagrato Orbe imaginatur. Quanam ratione, ejus opinione, adpariturus tunc Messias; nempe instar Nubis Gloriæ. Ex promissione etiam effusionis Sancti Spiritus, quam nondum completam adseruit, Millenariorum errorem propugnavit. Falli Burnetium ostendimus, non ex prophetico tantum Scripturarum dicendi modo, sed ob jam restituta dona Ædis Salomonis, completaque ob Oracula, quæ in adventu Messiæ restauratum iri vetera Charismata spondebant.

L I.

UTinam auspicato & sat clare ostensa interpretatio nostra foret, qualem, bone Deus, Adversarium oppugnabimus! quantum nostra ex Elucubratiuncula fructum eruent Lectores! De cogitatis loquimur Burnetii, qui, in Tractatu de Statu Mortuorum & Resurgentium, inque Appendice de futura Judæorum Restauratione, quantis potuit viribus ostendere contendit, Mundum naturalem, Cælos & Terram renovatum iri, post conflagrationem; Millenium dein, sive millene Regnum Christi, in mundo renovato, sive cælo & terra, novis, celebrandum esse. Nullo autem fortiori uti se posse credidit argumento, nisi illo,

eo quod ex promissione ducitur restitutionis donorum prioris Templi, quæ nondum adhuc restaurata imaginatur, ac uberrime propugnat; iccirco rursus tuetur expectanda. Describit ille pluribus שכינה *Schechinah*, sive Majestaticam Domini præsentiam juxta a nobis jam explicata & tradita; sicque ait, Cap. de Statu Mortuor. & Resurgent. X.: *Quum vero loquimur de præsentia Christi in suo Regno, non id volumus, Christum descensurum esse in terras forma humana, & versaturum cum hominibus, ut olim in Judæa: nec vitam ducturum esse terrestrem, sicut in tempore suæ carnis: Hæc esset quodammodo secunda Incarnatio. Sed apparebit eminus in suo corpore glorioso, per modum perpetui aut constantis SCHECHINAH: ut olim in Sancto Sanctorum. Et ex alto Cælo demissa sua Sede, residebit in conspectu terrarum, Rex augustus, Numen visibile*. In Appendice vero de futura Judæorum Restauratione caussas adfert, cur id adhuc exspectari oporteat. Isaïæ siquidem testimonia recensens, scribit: *Interea notandum, uti hic pacem, ita Capite quarto in eodem Messiæ adventu Gloriam & Majestaticam Dei præsentiam Israëlitis promittit & prænunciat Propheta. Ita enim intelligo ejus verba*, Creabitque Jehova, *nempe illo tempore Messiæ*, super unumquodque habitaculum montis Sionis, & super conventus ejus, Nubem interdiu, fumumque, & splendorem ignis flammantis noctu; nam super totam gloriam erit protectio. *Nil dubito Prophetam respicere & designare* Schechinah, *sive Majestaticam Dei præsentiam, qualem Deus exhibuit Israëlitis in deserto; atque in hoc versu & sequenti explicitam mentionem facit* Schechinah *Chaldæus Paraphrastes. Quum vero post redemptionem Babylonicam, in secundo Templo non apparuerit* Schechinah, *hæc ad futura tempora referenda videntur. Idem* Schechinah *exhibetur* Pro-

Prophetæ gloriosius Capite sexto, propiusque ad modum Schechinah *in Templo: astantibus Seraphim, & fumo, ad præsentiam Dei, domum pervadente ea*, quæ tandem implenda subjicit restituto post renovationem Orbis Judæorum atque Israëlitarum Regno; siquidem, *Divinum Schechinah*, ait, *quod bis, secundum Chaldæum Paraphrastem, Capite LX. promittitur, in illo statu futuro gloriosius rediturum, hactenus ad Israëlitas, nondum ad Christianos pertinuit*.

LII.

Quum ex Zacharia vero Systema confirmat suum hæc habet Burnetius in allegata Appendice: *Quo hic notanda, quæ etiam alibi sæpius occurrunt apud Prophetas: exultatio Israëlis ob felicem suam fortem, & habitatio Dei in medio ipsius*. Habitationem Dei in medio Israëlis *interpretatur Chaldæus Paraphrastes hic, ut alibi, de* Schechinah, *sive Majestatica Dei præsentia: Verba Paraphrastis ita vertuntur:* Exulta & lætare cœtus Sion, & collocabo Majestaticam meam שכינה *præsentiam meam Majestaticam*, in medio tui, dicit Dominus. *Eadem etiam interpretatio habetur versu sequenti, & prius in versu quinto. Neque aliter ad Cap. III. Zephaniæ, vers. 15. Idem hic promitti videtur, quod promissum est antea, Ezech. XXXVII. 27. 28. & postea a Sancto Joanne in Apocalypsi, Cap. XXI. 3. Quum vero non apparuerit* Schechinah *in Templo secundo, & promissum sit a Sancto Joanne in novis cælis, & nova terra, restat complendum, ut mihi videtur, una cum læta Judæorum restauratione, in secundo Christi adventu, hoc Vaticinium*. Quod autem de nube Gloriæ adserit Burnetius, idem de aliis imaginatur prioris Templi donis; verius expectata adhuc, ejus opinione, Charismatum illorum restitutio majorem ipsi ansam

L 2 præ-

præbet præconcipiendi futuram Reſtaurationem Judæorum ; ſic enim in laudata Appendice ex Oraculo Joëlis argumentatur : *Propheta Joël, poſt plurima Dei judicia memorata, propitium Numen, & felicem fore tandem Judæorum ſtatum indicat, ob dona illa ſanctiſſima etiam reſtituta*. Eritque poſtea, *inquit capite ſecundo*, ut effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ : Seniores veſtri ſomnia ſomniabunt, Juvenes veſtri viſiones videbunt. Quin etiam ſuper ſervos & ſuper ancillas effundam Spiritum meum. *Hoc celebre promiſſum applicuit S. Petrus Act. II. ad effuſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos. Et merito quidem : erat illa Divinæ virtutis illuſtris demonſtratio. Sed non prævertuit, aut excluſit futuras completiones ejuſdem Prophetiæ. Audiamus quæ ſequuntur apud Prophetam. Effundens Spiritum meum*, edam oſtenta in cælis & in terra, ſanguinem & ignem, & elationes fumi : Sol ipſe vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Jehovæ magnus & reverendus. *Hæccine evenerunt ad effuſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos? Nemo dixerit. Quem itaque diem magnum Domini glorioſum & terribilem deſignat Propheta? Si exuſtione deſtruetur hic mundus, quod aperte nos docuit S. Petrus in ſecunda Epiſtola, ſuffragante S. Paullo ad Theſſalonicenſes, univerſam conflagrationem, cum tota natura conturbabitur, præibunt & comitabuntur neceſſario hujuſmodi ſigna, ut in Theoria telluris Libro III. oſtenſum eſt. Eadem etiam prodigia præſignificavit Chriſtus ante adventum Filii hominis in nubibus cæli, quod aliter quam de ſecundo ipſius adventu in fine mundi interpretari nequeo. Manet itaque ulterior ejuſdem promiſſi completio verſus finem mundi, cum appropinquarit magnus ille dies Domini, ardens inſtar fornacis adverſus improbos, quos veluti ſtipulam devorabit,*

rabit, sed instar exorientis solis cum radiis salutiferis, erga pios, secundum Prophetam Malachiam, Cap. IV.

LIII.

Cohærenter ad cogitata ejusmodi de futuro adventu Eliæ disseruit Burnetius, ubi non post multa subdit: *Sed de adventu Eliæ quid dicemus? Venit quidem dudum Elias, sed non in propria persona, sed potius in typo. Videtur enim typus Eliæ fuisse Johannes Baptista; Præcursor erat primi adventus Christi, ut erit olim Elias secundi. Eodem spiritu & officiis conveniunt, ut typus antitypo. Multa solent disceptari de futuro adventu Eliæ Prophetæ: Inter Judæos receptissima est doctrina de Elia venturo, nec quidem novitia, aut a posteriori inventa. Tempore Christi invaluit, idque ex ore Scribarum, qui in Cathedra Mosis sedebant, quibusque adeo (præter mores) auscultandum esse duxit Christus. Matth. XXIII. 3. Eamdem retinent sententiam Hebræi recentiores, & e Christianis plures. Qui negant Eliam adhuc venturum, Joannem Baptistam habent pro solo & unico Elia, nec alium putant esse expectandum; sustinuit quidem vices & personam Eliæ Baptista; & muneris ipsius partes pro tempore; at si unicus fuisset Elias (ex omni parte & tempore) a Propheta prædictus, haud negasset, opinor, explicitis verbis se esse Eliam, cum de ea re interrogaretur. Joh. I. 21. Præterea Christus ipse dixit*, venturum quidem Eliam, *tempus futurum denotans*: & restituturum omnia. *Matth. XVII. 11. quod de secundo ipsius adventu intellexisse videtur: quandoquidem, hæc dicente Christo, mortuus esset Baptista; atque illa* Restitutio omnium *non futura sit nisi in secundo Christi adventu*. Sunt, uti inquiebamus, hæc præcipua Burnetii argumenta, quibus utitur ad Archæologiam retractandam, rursusque excitandas vindicandasque opi-

opiniones de milleni Christi in terris Regno, & futura Restauratione Judæorum.

L I V.

Jam vero quæ de Elia disseruimus, sat idonea, ni vehementer fallimur, videntur cogitationibus Angli Scriptoris evertendis. Mysticum siquidem Eliam si portendit modo Malachias, aut magnum modo Dei Domini Prophetam; sique opinio de Thesbitis Eliæ persona ante Messiam reditura aut non rectæ Versioni Alexandrinorum, aut pravæ Magistrorum interpretationi ortum incrementumque debet suum, non est utique cur ex adhuc complenda Malachiæ Prophetia relate ad Eliam pergat Systemata struere Burnetius. Haud inficiamur quidem, cum nonnullos Patres, tum etiam Orthodoxos alios Scriptores Thesbitem Eliam adhuc expectare, quin tamen in Burnetiana ruant consectaria. Ut totus ille est in opinionibus & principiis Recutitorum, ita Scripturæ Literam ubique nimium urget, neque aliquam, aut sat idoneam habet Prophetici dicendi modi rationem; non Propheticum animadvertit Christi & Apostolorum loquendi stilum; quare signa, indiciaque excidii Hierosolymorum, & totius Judææ Gentis signa esse duxit mundi finis & consummationis, sive combustionis omnium. Sed hisce de signis postea.

L V.

Nunc de jam facta dicendum igitur est Restitutione omnium, sive præstantissimorum donorum prioris Ædis, non symbolice quidem, allegorice, aut ratione metaphorica, sed sensibili conspicuoque modo, & in priori sane Christi adventu; quo tempore *Schechinah* versatum in medio Judæorum vere & proprie ostendimus, & ea ratione quidem, qua Patriarchis adparuit olim, & visebatur

tur

tur in Templo Salomonis. Tunc etiam prophetasse omnes animadvertemus; tunc visa non benefica modo, sed terribilia, de quibus Prophetæ dixerant, prodigia in cælo, inque terris; tunc demum ea omnia Oracula, cujus completiones expectat Burnetius conflagrato orbe, in milleni Christi Regno, restaurataque, ut imaginatur, universa Gente Judæorum; ea, inquam, omnia Oracula complementum adserimus consequuta suum; quare adversus Anglum Scriptorem recta depugnemus via, & jure consequamur, nullum expectandum adhuc Messiæ Regnum in terris, ubi per modum perpetui & constantis *Schechinah* in suo corpore glorioso inter Judæos sit adhuc ipse versaturus; nullam expectandam adhuc Restaurationem Judæorum; sed ipsam perfectiore modo ob Credentes ex Circumcisione, Gentesque novum in fœdus cooptatas, feliciſsime peractam.



CA-

CAPUT VIII.

Adparitio Gloriæ Domini in ortu Christi: inde ortæ nonnullæ Latinorum multiplici de Sole aut luce tunc temporis visa narrationes. Veterum in id testimonia Scriptorum in medium producuntur. Illustrantur plura sacrarum Scripturarum loca, verba præsertim Evangelii Johannis I. 14. quæ Judæos respexisse ostendimus expectantes restitutionem donorum Templi Salomonis. Nonnullæ voces Biblicæ stylo & sensu vere Biblico explicatæ. Schoettgenius, Hildebrandus, Fullerus, Bengelius, Deylingius, Bebelius, allegati. Oppugnatur iterum Burnetius. Pseudo-Artemonius, sive Crellius, male a Baraterio castigatus, melius refellitur.

LVI.

A Gloria Domini auspicari placet, sive a Majestatica Numinis præsentia, quam procul dubio compertum habemus apparuisse, cum in Nativitate Christi, tum in adventu sapientum Orientalium Bethleemum, tum etiam quum Christus ipse baptizaretur a Johanne; tum in ejus *Transfiguratione* demum in monte Ithabyrio; uti pretiosa in morte Protomartyris Stephani, & in mira *Conversione* Paulli; S. Lucas Capite Evangelii II. Servatoris ortum hisce describit: *Et peperit* (Maria) *filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in Præsepio: quia non erat eis locus in diversorio. Et Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos*, καὶ δόξα Κυ-

ρίου

ρίου περιέλαμψεν αὐτοὺς· καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν; *& claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno; & dixit illis Angelus &c.* Tunc non dubitandum profecto, restitutam primum fuisse nubem illam lucis & gloriæ, sive *Gloriam Domini*, quæ priore in Templo comparere consueverat; nam per δόξαν Κυρίου שכינה *Schechinam*, sive nubem illam lucidam igneamque, aut Lumen magnum Numinis præsentiam indicans, intelligi debere docet Schoettgenius in Horis Hebraicis, & Talmudicis in allegatum testimonium, ubi scribit: Jalkut Rubeni fol. *6. 2.* כבוד אל שכינה הוא אור גדול. *Gloria Schechinæ est Lumen magnum*; quod se ostendisse ait in Roman. IX. 4. ubi ad illa: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum*, καὶ ἡ δόξα *& Gloria, & testamentum, & Legislatio, & obsequium, & promissa*; hæc diligenter & in rem nostram scribit: Καὶ ἡ δόξα; *hac voce intelligitur Schechina, sive Majestas Divina, quæ alias a Græcis* δόξα Κυρίου *dicitur. Bechai in Legem fol.* 100. 1. Apparitio Majestatis divinæ in Scriptura dicitur כבוד יהוה *Gloria Domini*; stilo vero Sapientum Schechina: *& huc pertinent loca Exod. XXIV. 16.*: Et habitavit Gloria Domini in monte Sinai; *& Psal. LXXXV. 10.*: Ut habitet Gloria in terra nostra. *Ea nunquam sine Majestatico quodam splendore erat, ut notissimum est. Et hæc quoque Israëlitis erat peculiaris. Schechina enim Arcæ fœderis insidebat; totum nonnumquam Templum ac Tabernaculum implebat &c.* Hucusque allegatus Auctor, qui eadem fusius enarrat in Dissertatione de Hierosolyma Cælesti, §. XIII. ubi postquam docuisset, uti vidimus, in Templo Hierosolymitano, nec non ante illius tempora, in Taberna-

 culo,

culo, Arcæ fœderis, & Cherubinis insediſſe *Schechinam*, h. e. nubeculam quamdam pellucidam præſentantem Deum, & ex qua Deus cum Moſe, & ſummis Sacerdotibus verba fecit, & nocentes quoque igne ex illa procedente punivit: Heinc ſæpenumero in Sacris *Dei* & *Jehovæ* nomine vocari, prout recte obſervat Moncæjus in Aarone purgato: Hebræos שכינה appellare id ſolitos a שכן *habitavit*, quia Deus ſub illa tamquam ſigno viſibili inter homines habitavit. Hujus *Schechinæ*, ſubdit Schoettgenius, *etiam in Novo Teſtamento mentio fit, & duplici nomine appellatur*, δόξα *&* σκηνή. Δόξα *ſæpius adhibetur addito* Κυρίου, *vel* Θεοῦ, *ut Lucæ II. 9. Actor. VII. 55. ſemel vero* δόξα *ſimpliciter adhibetur Rom. IX. 4. ubi inter alias Judæorum prærogativas, etiam has numerat:* ὧν ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι. *Quibus ſane verbis Apoſtolus hoc innuere voluit, Judæos inter alia hoc quoque præ reliquis Gentibus præcipuum habuiſſe, quod Deus ſub viſibili quodam Symbolo Majeſtatem & Præſentiam ſuam ipſis manifeſtarit. De* σκηνῇ *vero agit locus Apocal. XXI. 3. ubi de Hieroſolyma nova cælitus deſcendente ſic proclamatum eſt:* Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν. *Pertinent & huc, quæ eruditi Interpretes ad Joannis I. 14. ad vocem* ἐσκήνωσεν *adnotarunt, quæ, quum ubivis obvia ſint, indicaſſe ſufficiat*. Ille hucuſque.

LVII.

Illa igitur *Claritas Dei*, quæ, juxta noſtrum Interpretem, circumfulſit Paſtores, nocte illa, qua Chriſtus ortus eſt, nil aliud fuit, quam שכינה, ſeu Lumen illud magnum, quod Majeſtaticam Domini præſentiam tandem aliquando reſtitutam Judæis repræſentabat, quodque nunquam ſine majeſtatico quodam ſplendore ſe ſe conſpiciendum præbebat: tunc quidem iis modo notum,

qui

qui vix aliquid Pharisæorum de Traditionibus audiverant; sed quod inde vulgatum, & apud Circumcisos credentes receptum, & in Vulgus sparsum, ansam ortumque narrationibus Latinorum præbuit, qui suo more factum concipientes referentesque, luces ea nocte adparuisse imaginati sunt, pluresque Soles, aut lucidos circa Solem arcus; aut, uti refert Lucas Tudensis in Chronico, ex quibusdam antiquis Hispanorum monumentis, nubem illa nocte conspiciendam se præstitisse memorarunt lucidam, igneamque & candescentem, qualem revera *Gloriam Domini* in Nube apparuisse tradunt veteres Hebraicæ Gentis Scriptores. Spoponderat reapse Deus, in Messiæ adventu, & quidem non semel spoponderat ore Prophetarum, splendorem ignis flammantis in nocte, lumen Israëlis in igne & in flamma; spoponderat revelationem & ortum Gloriæ Domini; spoponderat adventurum se in lumine Majestatis suæ, futurumque ut שכינה videretur Hierosolymis. Donum illud δόξαν τοῦ Κυρίου appellabant Hellenistæ: Itaque qui non concedemus, restitutum illud fuisse beata nocte, quæ suprema errori fuit atque Satanæ?

LVIII.

Hoc autem si factum fuisse præconcipimus, quantam, Deus immortalis! lucem vel rebus altissimæ indaginis posse accedere mirabimur. Quæstionem jamdiu instituerunt dissentientes Christiani de sensu verborum Johannis initio Evangelii, qui postquam Verbum in principio fuisse docuisset, Ipsumque, Deum esse! *In ipso*, prosequitur, *vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes; Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lux, sed ut te-*

stimonium perhiberet de lumine . Erat lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum . . . . Et Verbum caro factum est , καὶ ἐσκήνωσεν , *& habitavit in nobis , & vidimus* τὴν δόξαν αὐτοῦ , δόξαν ὡς παρὰ πατρὸς , *Gloriam ejus , Gloriam quasi Unigeniti a Patre , plenum gratiæ & veritatis* . Ignorat nemo quantum de origine hujusce testimonii disputatum ; quare *Platonismum* Evangelistæ asserere nonnulli perperam ausi sunt , aliis doctissime inficiantibus . Spectabat heic , nisi fallimur , Apostolus Judæos quidem , non , ut contendebat Clericus , Philosophia Platonica imbutos , quod jam egregie laudatissimus Vir Johannes Lamius evicit in Libris *de Recta Christianorum in eo quod ad Mysterium Trinitatis adtinet sententia* ; sed Judæos respiciebat Johannes heic Evangelista expectantes restitutionem donorum Templi Salomonis , præsertim *Gloriam Domini* , hoc est Majestaticam Numinis præsentiam restitutam ; quare *habitasse in ipsis* Verbum diceret Apostolus , *lucem fuisse veram* ; *visamque ejus Gloriam* , ut facilius consequi , & dignoscere Circumcisi possent divinam Messiæ qualitatem , dignitatemque Servatoris Christi ; reditam ipso adveniente nempe , agentemque inter homines , non modo lucido in Phænomeno , quale conspexerant nocte Nativitatis ejus Pastores , aut quale Evangelista ipse viderat in monte Ithabyrio ; sed veram quoque , esto carne indutam , Numinis præsentiam .

L I X.

Ut ab extremo commate auspicemur : Verbum carnem factum edocet Johannes , & inter mortales habitare perrexisse : quod ut denotaret , voce utitur ἐσκήνωσεν . Hujus potestatem vocis non prætermiserunt Eruditi quidam , qui , monente Joachimo Hildebrando Cap. XII. *De Natalitiis Veterum* , de vero die Natalis Christi ,

Christi, nec ἀλόγως disputantes, quod ea usus Evangelista foret, non post brumam, sed ante illam, subque initium Octobris, circa Tabernaculorum Festum, fuisse natum Servatorem contenderunt; *Verbum carnem factum est καὶ ἐσκήνωσεν, & Tabernaculum erexit apud Nos*, inquiebant, *quod in Festo τῆς σκηνοπηγίας solenne*. Et certe procul omni dubitatione Biblica est vox illa, derivataque ex שכינה *habitatione*, uti nosse potest quisque vel elementa Linguarum callens, præsentiamque Domini utraque in Dialecto Recutitorum opinione ac Traditionibus, significabat. Sic Exodi XXXVI. 16. וישכון, *Et habitabit Gloria Dei in Monte Sinai*; Sic Tachuma fol. 47. 3., & 52. 2. קה״ בה שרה שכינתו בעולכם *Deus S. B. habitare permittit Schechinam suam in Mundo*. Verbum igitur carnem factum, sive Deum ipsum perfectiore modo habitationem constituisse suam apud homines denotare voluit Evangelista. *Vidimus*, subdit, *Gloriam ejus*, τὴν δόξαν αὐτοῦ, quo nomine solitos vidimus significare Hellenistas Divinæ itidem Majestatis adparitionem; ceu dicere voluisset, imo Judaica dixisset phrasi: *Vidimus Divinitatem ejus*; Verbum quippe lucem fuisse innuerat a tenebris non comprehensam, uti præconceptam ostendimus Divinitatem a Judæis; neque propria magis phrasi uti poterat Johannes. Bengelius in hunc locum: ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *habitavit in nobis*; Σκηνὴ, subdit, *Tabernaculum: unde σκηνόω; habitavit, ut in Tabernaculo nobiscum, vere, nec diu, spectaculum sui præbens. Verba affinia*: ἐσκήνωσεν & ἐθεασάμεθα, *uti Scena & Theatrum. Incola*, ὁ λόγος *Sermo: Caro, Tabernaculum & Templum*. Hebr. IX. Joh. II. *Eædem literæ in* שכינה & σκηνὴ. Deylingius etiam, Observationum Sacrarum Parte V. ubi de Θεοφανείᾳ in rubo ardente agit, cujus implementum per τὴν φανέρωσιν

τοῦ

τοῦ Θεοῦ ἐν σαρκί ostendit, eadem Johannis verba conferens cum testimonio Apostoli ad Tim. III. *ἡ σκήνωσις τῷ λόγῳ ἐν ἡμῖν*, subjicit: *Huc pertinet Arca fœderis, nec non ἐπισκιασμὸς τοῦ πνεύματος ἁγίου ab Angelo commemoratus Lucæ I. 35., sumta loquendi ratione a nube, quæ Tabernaculum fœderis olim adumbravit*. Ante laudatos Scriptores id docuerat Fullerus, Miscell. Sacr. Lib. II. Cap. IV. scribens: *Vocatur Tabernaculum* שכינה*, σκηνὴ, σκήνωμα: Simplicem & dilucidam vocabuli explicationem hanc opinor esse, nempe, ut* השכינה *id dicatur, per quod Deus, quum singulari quadam ratione inibi habitaret, peculiari idem & ea sensibili modo Israelitis præsentiam suam exhibuit, seque apud eos habitare testatus est, proprio divinæ cujusdam prærogativæ beneficio. Humana igitur Christi natura, longe excellentissime omnium, quæ supra recensuimus, & quam maxime proprie, propter hypostaticam unionem, nomen* השכינה *sibi vindicat*. Latissime vero id confirmat nonmodo Bebelius in Historia Ecclesiæ Noachicæ, Sect. II. de *Χερουβ*; sed etiam Thomas Burnetius Cap. VIII. Tractatus de Statu Mortuorum & Resurgentium, ubi illa: *Adjicere libet, Gloriam Dei, quæ dicitur ab Hebræis* שכינה Schechinah, *& est præsentia Dei Majestativa, habere semper speciem Lucis, flammæ, aut candentis Nubis; ut in itinere ex Ægypto, & in Sancto Sanctorum. Eademque res, quæ dicitur* Gloria Dei, *dicitur etiam Nubes, vel Nubes lucida. Num. XII. 5. & XVI. 19. 42. Matth. XVII. 5. II. Petri I. 17., multisque aliis in locis, in utroque Fœdere, patet*, Gloriam Dei, *vel gloriosam ipsius præsentiam, materia aliqua lucida flammea, aut candenti exhiberi. Erat autem hujus Gloriæ divinæ, hujusce* Schechinah, *eximium habitaculum Corpus Christi, & quasi Sanctum Sanctorum, in quo hæc Gloria clarius*

rius eluxebat. Ad quod etiam sæpius alludi solet ab Authoribus Sacris. Johanne I. 14. Hebr. IX. 11. Apocal. XXI. 3. Quod unicum Burnetii testimonium, universum ejus millenario de Regno Ædificium penitus evertit. Si enim Divinitati Christi denotandæ ad שכינה alludunt Scriptores Sacri, dum de Incarnatione ejus verba faciunt; Si Verbum jam *ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν habitavit*, instar Gloriæ Domini in Sancto Sanctorum, *inter homines*; quo, precor, fundamento alia expectanda adhuc in terris Resurrectio; quove aliudque in terris Christi Regnum, in quo præsentiam Numinis Majestaticam iterum conspicere oporteat? Utitur voce quidem *σκηνώσει habitabit* Johannes in Apocalypsi; sed quis ingenium Linguæ ignorat, quis propheticum dicendi modum? Quis non animadvertit præterita & futura, more Prophetarum, in Apocalypsi, permixta enunciari & veluti confusa? Quis historicam narrationem ex prophetica enarrandam ducet; non satius propheticum sensum ex historico enunciandum? Exemplar eorum, quæ in terris, præsertim & Hierosolymæ evenerant, exemplar, inquam, eorum omnium in Cælis esse imaginabantur Circumcisi; uti late ostendit Schoettgenius in pulcherrima Dissertatione *de Hierosolyma Cælesti*. Ad habitationem igitur, vel commorationem Christi inter homines, instar Schechinæ, peractam, Apocalypseos verba referenda. Quam belle vero convenit *ἐσκήνωσεν* Johannis, quam belle conveniunt ejusdem verba *ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ* cum loco ejusdem Johannis allegato, videlicet Apocalypseos: *Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Ceu dixisset: *Ecce Schechina, en Gloriam Domini tandem credentibus Judæis restitutam: En Deum, non, ut olim, in lucido Phænomeno, sed humana in-*

indutum specie habitantem cum hominibus ; & *ipsi*, ut Johannes subjicit, *populus ejus erunt*, & *ipse Deus cum eis erit eorumdem Deus*. Nonne hanc ad felicitatem alludere voluisse visus est etiam S. Paullus in allegato Epistolæ ad Romanos testimonio, quum ad credentes Judæos spectasse dixit *adoptionem filiorum*, & *testamentum*, & *promissa*, καὶ ἡ δόξα & *Gloriam Domini*, Numinis videlicet præsentiam ? quam vere consequuti sunt per Divinitatem in Christo *corporaliter inhabitantem*. Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς ; uti idem Apostolus ait ad Colossenses Capite II. Insignis locus est apud Johannem Cap. XII. quo arcaniora hæc illustrantur maxime. *Tot autem eo*, Christo nempe, ait Evangelista, *signa faciente coram eis, non credebant in eum* : *ut sermo Isaïæ Prophetæ impleretur, quem dixit* : *Domine quis credidit auditui nostro &c. . . . Hæc dixit Isaïas, quando vidit Gloriam ejus*, & *loquutus est de eo*. ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. Quænam, rogo, illa Christi Gloria, quam Isaïas vidit ? Non alia profecto, Evangelistæ sententia, nisi Patris ipsius Gloria, Majestatica scilicet Numinis præsentia, quam eamdem Patris ac Filii asserit Evangelista, eamdemque iccirco naturam eorum esse significabat. Respiciebat nempe hoc Johannes in loco Visionem Isaïæ, quam Propheta ipse descripserat Cap. VI. his verbis : *Vidi Dominum sedentem supra solium excelsum & elevatum* : & *ea, quæ sub ipso erant, replebant Templum*. Animadvertit Pseudo-Artemonius, sive Crellius, in sua illa Enarratione Evangelii Johannis, Parte I. Cap. 45., non recte vocem שׁולין Vulgatum Interpretem de iis, quæ sub Domino erant replentibus Templum, alios de *fimbriis* interpretari solitos ; teste siquidem Schindlero in Lexico, שׁול *ignem* Arabica in Lingua signi-

ſignificare, ejuſdemque radicis vocabulum Æthiopica in Lingua notare *ignitabulum* in Edmundi Caſtelli Lexico: ſumpſiſſe igitur ſubjicit LXX. vocem illam שוליין aut שולן in ſignificatione *lucidi*, aut *ignei ſplendoris*, ſeu fulgoris, atque inde egregie vertiſſe, καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ, *& plena erat domus Gloria ejus*; Gloriam enim illam in ejuſmodi Viſione nihil aliud quam ſplendorem fuiſſe palam eſſe ait, fulgorem, aut effulgentiam, ex Deo ejuſque throno emanantem. Recte omnino quidem hucuſque Crellius; nam & Chaldæus Paraphraſtes ita locum effert: *de ſplendore Gloriæ ejus replebatur Templum*. Verum, ut apertum nimis hoc erat, & peremptorium veluti, de ſumma Chriſti veraque Divinitate teſtimonium; quum illud αὐτοῦ ad Chriſtum, cujus præceſſerat mentio, referatur; indeque conſequantur Orthodoxi Chriſtum Iſaïæ tempore jam exſtitiſſe, atque adeo ante matrem, & præterea ſummum verumque Deum τὸν ἐπὶ πάντων fuiſſe; hæc, inquam, quum jure ſummo eruantur, quid tum Crellius? Turbat, ſuſdeque miſcet omnia, huc illuc ſe vertit miſer, tandemque ex Coptica Interpretatione, unoque ex Codice Leiceſtrenſi, quem fatetur recentiſſimum, adverſus omnium prorſus MSS. editorumque fidem Codicum, adverſus ita legentes SS. Patres, & vetuſtiſſimos Scriptores, legendum docet, non τὴν δόξαν αὐτοῦ, ſed τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ; ſeque magnum inde retuliſſe imaginatur Orthodoxorum de ſententia triumphum.

L X.

Veram Lectionem tamen, uti & cetera, quæ Initio Evangelii Johannis continentur, vindicavit in Anti-Artemonio ſuo Johannes Philippus Baraterius, qui & peſſimam Crellii diſputandi hoc in loco rationem, & peccatum ejus contra Syntaxeos leges

facile oſtendit. Erraſſe optimæ tamen Cauſæ Vindicem animadvertimus, dum ea, quæ de Iſaïæ Viſione docet Neo-Photinianus Scriptor, oppugnare pergit; quum, niſi valde fallimur, nil validius adverſus errorem ſuum ferri poſſe videatur. Ita igitur ſcribit Baraterius Partis II. Cap. 8.: *LXXvirali & Chaldaicæ Verſionibus nixus Artemonius contendit male vulgo* שול *per fimbrias reddi. Quærit itaque quomodo ex hac voce* Gloriam *efficere poſſit. Tandem invenit Arabice* שול *eſſe* ignem. *Igitur cenſet* שול *hoc loco*, igneum ſplendorem *ſignificare, atque ſic* Gloriam *ex* שול *efficit. Parum quidem id mea refert, nec cauſæ, quam tracto, intereſt quid ſignificet* שול. *Verum enim vero huic opinioni aſſenſum præbere non poſſum; & has rationes ei oppono.* 1. *Hoc nimis inſolens eſt & inuſitata metaphora* ignis *pro* Gloria, *præcipue cum* שול *hoc loco, in plurali ſit; abſurde autem mihi ſonare videtur*, & ignes Dei Templum replebant. 2. *Scire velim quid Artemonius per* Gloriam *hic intelligat? Vix ſignificationem commodam inveniet.* 3. *Paraphraſtem Chaldæum non miror ita reddidiſſe; eſt enim Vir religioſus Antropopathias a Deo ſedulo removens, & ſi quæ occurrunt, eas ſemper allegorice reddens.* 4. *Quod attinet ad LXX. de illis notum eſt, eos non adeo religioſe textum ſequi, & fortaſſis hanc Verſionem ex quadam Traditione vel conſuetudine Judæorum hauſerunt, ut Paraphraſtes. Vel etiam mendum eſt in wte LXX.* Quæ videt ſtatim quiſque per ſe quam levia ſint, imo falſa, & univerſa cum Veteris Teſtamenti hiſtoria, cum veritate pugnantia. Quid enim vidit Iſaïas, niſi Gloriam Dei? Quid Gloria Dei niſi nubes coruſca & lucida? niſi ſplendor, inſtar ignis? Quid verius ſenſu vocis ex traditione & conſuetudine, videlicet, ſenſu Biblico, explicatæ? Quid ſcribit heic Artemonius, in quo ab aliis omnibus differat Interpretibus? LXI.

LXI.


Ejus igitur non interpretationem modo, quæ fane idonea eſt, ſed emendationem quoque, ſeu mavis corruptionem impræſentiarum amplectamur; validioribus ſane armis vix Chriſti Dignitatem vindicabimus; nilve ex lectione lucratum ſua Crellium intelliget quicumque animadvertet, opinione Judæorum perinde fuiſſe ab Evangeliſta dictum δόξαν τοῦ Θεοῦ, ac ſi dixiſſet δόξαν αὐτοῦ. Siquidem quum δόξα heic, uti explicat Crellius ipſemet, ſenſu Biblico ſumatur, nubemque glorioſam & Majeſtativam Dei denotet præſentiam; quumque שכינה *Schechinah*, glorioſa videlicet illa nubes Meſſiam denotaret quoque; nomine imo Schechinæ Meſſias ipſe a Judæis donaretur; fit inde, jure ſummo uſos eo teſtimonio Orthodoxos Divinitati Chriſti aſſerendæ vindicandæque; proindeque Evangeliſtam, etiamſi ſcripſiſſet τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, proprie adhuc tamen, pro Biblica Judæorum phraſi atque præconceptis, Meſſiam denotaſſe. Eruitur id certe ex Commentariis Epiſtolæ ad Hebræos, ubi Auctor Cap. I. Chriſtum appellat *ſplendorem Gloriæ Dei*; ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ. Quæ ad verba Schoettgenius in Opere ſæpius allegato: *Confitimus* ἀπαύγασμα *eſſe ſplendorem ex alia quadam luce derivatum, qui tamen cum illa ejuſdem eſt eſſentiæ. Lux iſta* τῆς δόξης *nomine venit, qua quidem voce* שכינה Schechina *indigitatur, ſive Majeſtas Divina; adeoque vox hæc adjecta denotat, Chriſtum Majeſtatem & ſplendorem accepiſſe* a Schechina, *ſive Patre, quem Judæi omnes indubie Deum verum crediderunt*. Uberius hæc tamen idem Auctor docet, Diſſertatione I. de Meſſia Cap. I., in quo hæc legimus: *Judæis familiare eſt, ut Deum vocent* Schechinam שכינה. *Noſtrum jam eſt oſtendere, quod hoc nomen etiam Meſſiæ tribuatur. Huc facit locus Sohar Ge-*

N 2 *neſ.*

ref. fol. 88. *col.* 348. *ex versione Sommeri p.* 43. Hic filius est Pastor fidelis . De te dicitur Psalm. II. 12. *Osculamini filium* ; item v. 7. *Tu es filius meus* . Est autem ille Princeps Israëlitarum , Dominus super inferiora , Dominus Angelorum ministrantium , filius Supremi , filius Dei O. M., & Schechina gratiosa . *Jam vero Psalm. II. a multis Antiquioribus de Messia explicatur* ; *igitur Messias est* Schechina . *Judæi quoque expresse ajunt* , Schechinam *temporibus Messiæ inter homines versaturum . Facile igitur est ad concludendum* , *singularem quemdam modum intelligi* , *quo Schechina inter homines habitare debuit* , *qui est ille ipse*, *quem Joannes intendit*, Cap. I. 14. *Καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο , κ᾽ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν* . Quibus utique dicendi formulis Apostoli & Evangelistæ , pro Pharisæorum præconceptis , Christo Divinitatem asserebant adversus incredulos Judæos; ea ferme ratione , qua nos adversus Hetherodoxos ejusdem labis reos animadvertendum ducimus , Messiam nomine יהוה *Jehovæ* sæpenumero Sacris in Literis donari , quod , ipsis fatentibus , soli vero proprioque & supremo Numini convenire valet . Componitur cum his certe quod Evangelista ait , fuisse hominem a Deo missum , cui nomen erat Johannes , eumdemque testimonium *περὶ τοῦ φωτὸς de lumine* perhibuisse ; ipsum nempe testatum fuisse , apparituram in Messia Majestaticam Domini præsentiam ; ad quam igitur respexisse ipsum consequi par est, quum Messiam baptizaturum portendit *in Spiritu Sancto & igni* . Arcaniorem hæc ad doctrinam apud Judæos tamen spectasse dicenda sunt. Ceterum, dum Evangelistæ retulerunt , *τὴν δόξαν Κυρίου Gloriam Domini* se se nudis Pastorum oculis conspiciendam præbuisse nocte , qua Christus in terris ortus est , vel rudioribus Circumcisis insinuare fategerunt, restitutum fuisse tum primum apud ipsos præcipuum donorum

prioris

prioris Templi, quo jamdiu carebant; Nubem gloriæ ſcilicet, *Gloriam Domini*, Majeſtaticam Numinis in Claritate, in nube lucida præſentiam; Quod utique confirmare videtur apertiſſime vetus Auctor Protoevangelii Jacobi, dum ortum Salvatoris narrat, ſcribens: *Et ecce nubes lucida obumbrabat Speluncam . . . Repente autem fuit nubes in Spelunca, & lux magna, ita ut oculi noſtri non ferrent: paullatim vero lux ſe ſe ſubduxit, quouſque viſus eſt infans*. Καὶ ἰδοὺ νεφέλη φωτεινὴ ἐπισκιάζουσα τὸ σπήλαιον . . . παραχρῆμα δὲ ἡ νεφέλη ἐγένετο φῶς μέγα &c. Utitur vero verbis νεφέλη φωτεινὴ, quæ uſurpat Evangeliſta Matthæus Cap. XVII. Transfigurationem Domini deſcribens: ἰδοὺ νεφέλη φωτεινὴ, *ecce nubes lucida obumbravit eos*; quam nil aliud fuiſſe quam שכינה Gloriam Domini in loco oſtendemus.



CA-

CAPUT IX.

Fuisse Gloriam Domini restitutam non modo in Nativitate Christi, sed & in adventu Sapientum Orientalium Bethleemum, & in Baptismate Servatoris. Explicatio stellæ Magis visæ ex Spanhemio, quæ cum doctrina SS. Patrum consonat. Lumen lucemque adparuisse dum baptizaretur in Jordane Christus testatur Evangelium Nazaræorum, quod ab Hæreticis non prodiisse Grabius & Bacchinius ostendunt. Testantur id etiam Oracula, ut ajunt, Sybillina, Liturgia Syrorum, Auctor Tractatus de non iterando Baptismate Hæreticorum: testantur denique SS. Patres Justinus Martyr, Gregorius Nazianzenus, Johannes Damascenus, alii. Justini narratio ab Irico adversus postremum Operum S. Patris Editorem vindicata. Lactantius illustratur. Locus insignis Epistolæ ad Hebræos Cap. V. explicatur. Cur in hodiernis Codicilus nil de adparitionibus illis dictum esse videatur.

LXII.

FUisse Gloriam Domini iterum visam jure ac merito videmur suspicari, tum scilicet quum Magi venerunt adorare Dominum. Ubi nam esset, inquirebant, natus Rex Judæorum, subjicientes; *vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. (Matth. II. 2.) Mirum, quam multa illo de Phænomeno scripta reperiantur apud Exegeticos! Spanhemius, in Notis ad Librum II. Oraculorum Sybillinorum, omnes prorsus omnium opiniones in examen vocat severissimum, ceterisque mirum in mo-

modum oppugnatis, jure optimo ita denique consequitur: *Restat, ut opinionibus vel falsis manifeste, vel minus probabilibus saltem rejectis, κατὰ θέσιν ostendemus, quid de Sidere illo sit sentiendum. Omnibus vero expensis hæc sententia tutissima videtur, hanc stellam fuisse corpus lucidissimum, sed exiguæ molis a Deo extraordinarie non in cælo æthereo sed aëreo, ejusque regione inferiore formatum, sive per creationem immediatam, sive per mediatam, & motu arbitrario pro Dei voluntate motum ad designationem eventus extraordinarii, & directionem itineris Magorum ad domum & Dominum, quod ministerio illo præstito pro Creatoris voluntate disparuit, sive per annihilationem, si immediate creatum dicatur, sive per resolutionem ex materia, qua compactum erat, si creatione mediata productum statuatur. Quemadmodum in Vetere Testamento ejusmodi φαινόμενον ad consolationem & directionem Populi Israëlitici a Deo formatum*, Columna *nimirum* Nubis *&* Ignis, *cujus formatio extraordinaria erat, & motus, & duratio. Hæc opinio &* nomini *convenit in Scriptura notato, ad stellæ enim cælestis similitudinem accedebat ob situm, lucem, motum, &* attributis *corpori illi adscriptis, & sic ratio reddi potest, qui potuerit eventum extraordinarium hominibus astrorum peritis designare, qui eos vel in Judæam ducere, vel Bethleemum saltem, & ad certam domum, quod fieri non potuit nisi sensim se demiserit, & exiguæ molis fuerit, etsi ob proximitatem magnum videretur. Sic etiam liquet, qui interdiu fuerit conspectum, qui modo apparuerit, modo disparuerit, modo promotum fuerit, modo suspensum. Ad hanc sententiam accedunt inter alios Origenes, Augustinus, Damascenus, & Thomas III. Parte Quæst. 35. Art. 7.* Hæc ille; quem, fateor, uti & allegatos ab eo Patres, nil de Gloria Domini tunc conspicua Magis facta hoc

in

in loco cogitasse ; quod erui tamen eorum ex narratione potest , atque ex descriptione Phænomeni, quod tunc adparuit. Quid enim aliud , ut sæpe jam ostendimus , apud Hebræos *Domini Gloria* , nisi corpus lucidum exiguæ molis aëreo in cælo formatum , uti in *Columna Nubis* & *Ignis* contingebat , quæ Israëlitas præcedere solebant ? Idem Spanhemius vero appellatum antea hoc φαινόμενον ostenderat ἀστὴρ , ob sphæricam figuram , lucemque & situm , quia nempe in loco superiori ; ob motum , quia nempe cujusdam instar astri movebatur . Sic φαινόμενα , quæ in Christi manibus , ἀστέρας stellas vocat Johannes Capite Apocalypseos primo . Notum autem, Sacros Scriptores nomenclationem rebus tribuere sæpe solitos κατ' ἀλήθειαν secundum veritatem , sæpe κατὰ φάσιν secundum earum apparentiam , sæpe κατὰ δόξαν secundum hominum de iis opinionem ; quare quum *stellam* fortasse appellassent Gloriam Domini , nubemque lucidam Orientales illi , factum inde , ut eorum quasi verbis usi Evangelistæ , dum eos suo more loquutos inducerent , in memoriam revocare Judæis tamen vellent , restitutam in ortu Christi Numinis Majestaticam præsentiam , vereque Messiam ac Deum advenisse , & inter Mortales versatum ; quum , vel Ethnicorum opinione , id , nonnisi insolito comparente splendore & igne , accidere soleret . Simile quid meteoro Orientalibus Sapientibus adparenti , describit Maro , Libro Æneidos II. , ubi , pro Heroicorum doctrina temporum , ita canit :

Vix ea fatus erat senior , subitoque fragore
Intonuit lævum , & de cælo lapsa per umbras
Stella facem ducens , multa cum luce cucurrit .
Illam summa super labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram se condere sylva ,

Si-

Signantemque vias: tum longo limite sulcus
Dat lucem, & late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus Genitor se tollit ad auras,
Affaturque Deos, & sanctum Sydus adorat.
Jam jam nulla mora est: sequor, & qua ducitis, adsum.

Cælestibus utique Phænomenis agebantur vetustissimi Mortalium, unde orta posteriorum etiam Orientalium doctrina; Cur vero in renovatione, ut ita loquar, Orbis & Ecclesiæ, horum restaurationem prodigiorum non expectassent Circumcisi?

LXIII.

Ut vero *Gloriam Domini* in stella Magis visa quis noscere renueret, in Baptismate Christi tamen eam apparuisse nullus dubitabit; nam etsi in hodiernis Evangeliorum Codicibus id apertissime non legimus, ast eruitur sat clare tamen, & aperte ex eisdem; referuntque id Patres, & antiqua monumenta, detecti demum Codd., editique feliciſsime confirmant. Marcus Cap. I. rem describit his verbis: *Et factum est: in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galileæ, & baptizatus est a Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.* Johannes vero ita initio Historiæ suæ: *Vidit Joannes Jesum venientem ad se; & ait: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi, Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum,*

O *hic*

hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto &c. Nil hic certe prima fronte de Majestatica Domini præsentia, quam tamen visam nobis repræsentat Evangelium Nazaræorum. Sic enim Epiphanius, Hæresi XXX. ubi scilicet Ebionitarum de Evangelio agit, quod, ut Grotius habet ad Matth. III., idem cum Nazaræorum Evangelio erat, præter si quæ ὑποθέσεως χάριν interpolavit Ebion. *Porro Evangelium illorum sic incipit*; scribit Epiphanius: *Factum est in diebus Herodis Regis Judeæ, ut veniret Johannes baptizans baptismo pœnitentiæ in Jordane fluvio . . . Baptizato populo venit & Jesus, & a Johanne baptizatus est. Cumque ascendisset ex aqua, aperti sunt cæli, & vidit Spiritum Dei Sanctum columbæ specie descendentis, & intrantis in se se. Et vox reddita de cælo dicens: Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te.* καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα, ὃν ἰδών, φησιν, ὁ Ἰωάννης λέγει αὐτῷ.. *Statimque eo in loco lux ingens affulsit. Qua conspecta Johannes sic eum alloquitur: Tu quis es Domine? Rursumque lapsa vox de cælo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ne quis vero, quod Evangelium ejusmodi inter Apocrypha numeretur, iccirco de cælesti Lumine tunc viso dubitare pergat, uberrimum adducere placet Johannis Ernesti Grabii de Evangelio illo testimonium, quod Tomo I. Spicilegii SS. Patrum est ejusmodi: *Origenis & Hieronymi verba* (sive Judicium quod illo de Evangelio exscripserat) *non in istum accipienda sunt sensum, quasi Nazaræos Evangelium istud confixisse velint, cum contrarium hi ipsi Auctores haud obscure indicaverint, dum non modo testimoniis ex hoc Evangelio desumptis ad declaranda Canonicorum Evangeliorum verba usi sunt, ut mox ex fragmentis patebit; sed & Hieronymus istud in Græcum Latinumque sermonem transferre haud est dedignatus, id* mi-

minime facturus, si purum putum Hæreticorum fuisset fragmentum. Imo Lib. III. contra Pelagianos, postquam ex hoc Evangelio & Epistola Ignatii, sive potius Barnabæ, verba aliqua allegaverat, addit : Quibus testimoniis si non uteris ad auctoritatem, (*Canonicam*) utere saltem ad antiquitatem, quid omnes Ecclesiastici Viri senserint. *Inter Ecclesiastica igitur Scripta Evangelium secundum Hebræos retulit Hieronymus, hujusque auctoritate motus Beda in Expositione Proœmii B. Lucæ Tomo V. col. 217. ubi varia Evangelia ab Hæreticis conficta recensuerat, istius secundum Hebræos aliam rationem habendam esse monet. Sed & ipse Eusebius Cæsariensis, Lib. III. Hist. Eccles. Cap. 25. hoc Evangelium aperte secernit ab istis Libris, quos sub Apostolorum nomine ab Hæreticis confictos dicit; testatur quoque* quod eo delectentur maxime Hebræi illi, qui Christi fidem susceperunt. *Ignatium & Justinum Martyres aliosque Patres hoc Evangelio usos esse mox videbimus. Ex quibus & aliis facile colligere est, Evangelium istud secundum Hebræos non ab Hæreticis prodiisse &c. .... Quæritur autem, quare hoc Evangelium appellatum sit secundum XII. Apostolos, in specie juxta Matthæum, nec non secundum Hebræos? Ut de ultimo hoc titulo, tamquam maxime proprio, dicere incipiam, in ea fere sum sententia, sicut sacra ὑπομνήματα a Matthæo, Marco, &c. conscripta dici sueverunt Evangelia* secundum Matthæum, juxta Marcum, &c., *ita istud, de quo agimus, Evangelium* secundum Hebræos *appellatum esse; eo quod a primis Christianis Hebræis, qui Hierosolymis degebant, literis esset consignatum, & quidem ante quatuor Canonica Evangelia. Plures quippe fideles historiam rerum a Christo gestarum tunc composuisse, manifeste apparet ex Lucæ I. 1. ubi ait* : Multi aggressi sunt contexere narrationem earum, quæ certissimæ inter nos fidei

ſunt, rerum. *In his præcipuos fuiſſe Hebræos, vix dubitaverit quiſpiam, conſiderans, hos Chriſtum inter ipſos ambulantem ac docentem oculis auribuſque uſurpaſſe, miraculorum aliorumque ejus actorum, nec non paſſionis ſpectatores fuiſſe, denique plures eorum etiam illum a mortuis reſuſcitatum vidiſſe, ut adeo ipſi præ aliis Hiſtoriæ de Chriſto tradendæ eſſent apti, præſertim cum Hieroſolymis aliquandiu præſentes habuerint Apoſtolos, ex quorum ore, ſi quid eos fugeret, facile informationem capere poterant. Eſt autem vero ſimillimum, non modo ante Lucam, ſed & ante Matthæum ipſos res geſtas Chriſti literis delineaſſe. Neque enim quiſpiam Hebræorum Chriſtianorum, & quidem Catholicorum, poſt Evangelium ab Apoſtolo Matthæo conſignatum, ipſiſque pro regula fidei traditum, aliud quodpiam tale condere, ac Matthæum emendare auſus fuiſſet*. Cl. etiam Bacchinius, in Diſſertatione de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Originibus, Part. I. Cap. III. Num. 21., ex Origene oſtendit, Ebionæorum nomine intellectos omnes, qui ex Judæis Chriſtiani, quos & Apoſtolus, Epiſt. ad Galatas II. τῶν πτωχῶν nomine appellat, eoſque Legalia obſervaſſe; quamvis qui Ebionæi apud Chriſtianos audiebant, ea ratione inter Hæreticos recenſerentur, quod Legalium obſervantiam veluti neceſſariam putarent. Quis, poſt hæc docte adeo & diligenter animadverſa, de lucido Phænomeno dubitare valeat, in Jordane, dum baptizaretur Chriſtus, adparente; quum rei narratio nec auctores habuerit Hetherodoxos; ſed Chriſtianos ex Circumciſione, qui quum Judæorum Traditiones procul dubio callerent, earumque complementum hiſce in meteoris ſacris noſſent, rei memoriam poſteritati mandare ſatagerunt? Idem reperiri in Liturgia Syrorum, apud Severum Alexandrinum, ſive Antiochenum potius, de Ritibus Baptiſmi p. 88. adnotat Fabricius

ad

ad allegatum Epiphanii teſtimonium. Exſtat etiam ejuſdem teſtimonium rei Libro Oraculorum Sybillinorum VII. his carminibus:

> Ὅς σε λόγον γέννησε πατὴρ, πάτερ ὄρνιν ἀφῆκα,
> Ὀξὺν ἀπαγγελτῆρα λόγων, λόγον ὕδασιν ἁγνοῖς,
> Ῥαίνων σὸν βάπτισμα, δι' ὃ πυρὸς ἐξεφαάνθης.
> *Qui te progenuit Verbum caſtis pater undis*
> *Mitto pater, referat propere quæ verba, volucrem*
> *Aſpergens Baptiſma tuum, per quem ignem apparuiſti.*

Exſtat denique facti ejuſdem monumentum apud Auctorem Tractatus de non iterando Baptiſmate Hæreticorum, editum a Nicolao Rigaltio ad calcem Operum Cypriani, dicentem nempe, in Libro, qui inſcribitur Paulli prædicatio, traditum fuiſſe, *cum Chriſtus baptizaretur, ignem ſuper aquam fuiſſe viſum*. Johannes Erneſtus Grabius, Tomo I. Spicilegii SS. Patrum, ita de mox allegato Libro, qui inſcribitur, Paulli Prædicatio: *Veriſimile eſt, Librum iſtum haud diu poſt mortem Petri conſcriptum fuiſſe a quibuſdam Sancti Apoſtoli diſcipulis, qui ut ea, quæ ex viva ejus prædicatione hauſerant, poſteris quoque communicarent, ea literis conſignare voluerunt, ad æternam Apoſtolicæ perſonæ & prædicationis memoriam.* Atque huc forſan ſpectant verba Lactantii, qui Lib IV. Divinarum Inſtitutionum Cap. 21. *Petrus*, inquit, *& Paulus Romæ prædicaverunt, & ea prædicatio in memoriam ſcripta permanſit.* Qui non ignorat vero Nazaræos Ebionitaſque e ſinu Judæorum ortos, qui non ignorat Latinos noſtros, qui Judaicas Traditiones callebant minus, falſa de rebus veris imaginari ſolitos, arguere ſtatim poteſt, ortam Traditionem illam ex ſplendida fulgentique luce aliqua, ex nube Gloriæ, quæ apparuit in Baptiſmo Salvatoris.

LXIV.

L X I V.

Neque enim Apocryphi modo Libri adparitionem illam memorant ; qui tamen ut a veteribus Scriptoribus , & quidem ratione aliqua hebraizantibus profecti , aliqualem obtinere deberent , ubi eorum de ſyſtemate non agitur , neque ὑποθέσεως χάριν loquuntur , fidem ; ut enim recte monebat Clericus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi I. ad An. Æræ Vulgaris LXXI. *Crediderim quidem multorum circumlatos de factis ac dictis Chriſti , Commentarios , in quibus ſimilia erant noſtris Evangeliis ; ſed nihil vetat quin veritati conſentanea tradiderint nonnulli ejuſmodi Commentarii , cum præſertim Lucas , ab initio Evangelii quoſdam commemorat ; quos non damnat , quaſi fallaces , quamvis nunc inviſo* Apocryphorum *titulo dehoneſtentur* . Non Apocryphi , inquam , ſolum Scriptores lucidam adparuiſſe nubem memorant in Baptiſmali Conſecratione Chriſti , ſed præſtantiores etiam Patres , qui aut Judæorum habuerunt , aut veteris Theologiæ rationem . Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo : καὶ τότε ἐλθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν ἔνθα ὁ Ἰωάννης ἐβάπτιζε , κατελθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸ ὕδωρ , καὶ πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ · καὶ ἀναδύντος αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ὕδατος , ὡς περιστερὰν τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐπιπτῆναι ἐπ' αὐτὸν ἔγραψαν οἱ ἀπόστολοι αὐτοῦ τούτου τοῦ Χριστοῦ ἡμῶν . *Cumque tum Jeſus ad Jordanem fluvium veniſſet , ubi Joannes baptizabat , deſcendente Jeſu in aquam etiam ignis accenſus eſt in Jordane , eique ex aqua prodeunti Spiritum Sanctum inſtar columbæ involaſſe ſcripſerunt hujus ipſius Chriſti noſtri Apoſtoli* . Quo cum faciunt illa S. Gregorii Nazianzeni , Oratione in Sancta Lumina : Χριστὸς φωτίζεται , συναστράψωμεν . Χριστὸς βαπτίζεται , συγκατέλθωμεν , ἵνα καὶ συνανέλθωμεν . *Chriſtus illuminatur : ſimul illuſtremur . Chriſtus baptizatur : ſimul deſcendamus , & ſimul etiam aſcendamus* . Illudque

ad

ad Lumen allusisse iterum mihi visus idem Sanctus Scriptor Oratione XL. de Baptismo scribens : *Nam & ipse iis commemorandis exhilarescam (quid enim lumine dulcius & jucundius his, qui luminis gustum ceperunt ?) & oculos tuos hac Oratione perstringam : Lux orta est justo, & huic conjunctis lætitia &c.* αὐτὸς τε γὰρ ἡδίων ἔσομαι τῇ τούτων μνήμῃ· οὐ γὰρ φωτὸς ἡδύτερον, τοῖς φωτὸς γευσαμένοις· καί σε περιαστράψω τοῖς λεγομένοις· φῶς μὲν ἀνέτειλε τῷ δικαίῳ. Nec prætereunda etiam S. Johannis Damasceni carmina, quæ in aurea editione sua, ad calcem prioris Tomi, Cl. noster Michaël Lequien retulit ; sic enim de Theophania Domini Sanctus ille Pater :

> Σὺ ζωγραφήσας τῶν Ἀσσυρίων φλόγα,
> Ἐκτρέψασαν ἴσως εἰς δρόσον μεμιγμένην,
> Ὕδωρ ἔδυς νῦν ἀμφιέσαντα φλόγον,
> Σίνων κάκιστον, Χριστὲ, πρὸς κεκαλυμμένον,
> Πρὸς τὸν ὄλεθρον ἐκκαλούμενον τρίβον.

Quæ liberiore metaphrasi ita reddidit Billius :

> *Assyriorum reddidisti roscidam*
> *Flammam, gerebat, Christe, quæ typum tui.*
> *Unde induisti nunc adurentes aquas*
> *Adversus hostem dimicans absconditum,*
> *Iter trahentem fraude nos ad lubricum :*

Sed & Juvencus Christianus Vates non confirmare modo, sed illustrare illius adparitionem lucis mihi visus, Baptisma Servatoris dum pingit, scribens :

> *Surgenti manifesta Dei Præsentia claret.*

L X V.

Lumen igitur, sive lucem, fulgidamve nubem in Jordane docent apparuisse Evangelia Nazaræorum, Ebionitarumque, Auctor

ctor Oraculorum Sibyllinorum, & Scriptor Prædicationis Paulli; Gregorius Nazianzenus, Johannes Damascenus, & Martyr Justinus, cujus cum paullulum diversa sit narratio a verbis allegati Ebionitarum Evangelii, eum veteri tamen ex Traditione loquutum tuetur eruditissimus Doduvellus, Dissertatione II. ad Irenæum §. 9. Notant Anglum quidem Scriptorem Maurini Editores Operum beati Martyris, cui factum existimant quod nonnullis aliis Patribus, qui Apocryphis interdum Libris usi sunt: non aliunde igitur haustam ignis quum Christus baptizaretur exardescentis a Justino narrationem. Verum quam belle Doduvellum absolvit, imo quam aperte, Justinum non ex Apocryphis aut ex vera Traditione tantum, sed ex Codicibus etiam id eruisse evincit celeberrimus Eusebianus Codex, sive Codex Evangeliorum, manu S. Eusebii Episcopi & Martyris exaratus, quem nuper tanta edidit cum laude Cl. Iricus Mediolani! Matthæi siquidem in Evangelio Col. 21. ejusdem Codicis, sunt ejusmodi apertissima: *Et cum baptizaretur, lumen ingens circumfulsit de aqua, ita ut timerent omnes qui aderant.* Quæ quidem ad verba ita Editor doctissimus in Notis & concordantibus Lectionibus: *In narratione Baptismatis Salvatoris nostri nullibi apud Evangelistas occurrit quod narrat Eusebianus iste Codex de ingenti Lumine, quod de aqua circumfulserit, & adstantes omnes timore repleverit. Hoc forte in Græco Textu olim habebatur, nisi nostra nos fallit opinio; quod ut suspicemur nos inducit nomen ipsum, quo Græca Ecclesia Theophaniæ solemnitatem appellare consuescit, scilicet:* Sancta Lumina; *nam primario festum illud celebrat, ad recolendum Redemptoris Baptismum, & aquam salutaris Lavacri eadem die Sacerdotali Benedictione sanctificare solet. Solemnis hæc Benedictio legitur in Euchologio, quod edidit Jacobus Goar,*

Or-

Ordinis Prædicatorum, *atque inter ceteras Orationes*, *una ibidem reperitur*, *cujus est initium* : Trinitas superſubſtantialis; *inſcriptumque habet* : Opus Sophronii Patriarchæ Hieroſolymorum. *Hac in Oratione circa finem nonnulla habemus*, *quæ hujuſmodi miraculum Græcis ignotum non fuiſſe ſignificant*. *Illa vero ſunt hujuſmodi* : Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. Jordanis converſus eſt retrorſum, ignem Deitatis intuitus corporaliter deſcendentem, & in ſe ſubintrantem. *Huc fortaſſe reſpexit S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Sancta Lumina* : Chriſtus ergo illuminatur &c. *Quid plura? Vetuſtatem Codicis noſtri agnoſce Lector, quod cum antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis conſentiat* ; *Juſtinus enim inclytus ille Evangelii teſtis*, *& venerandæ antiquitatis Index*, *in Dialogo cum Tryphone Judæo* §. 83. *docet nos in hæc verba &c.* (uti allegavimus.) *Igitur non eſt cur*, (*ut doctiſſimus ille Monachus e Congregatione S. Mauri*, *qui S. Juſtini Opera vulgavit Pariſiis*, *anno MDCCXLII. in notis ad eum locum adnotavit*,) *Doduvellus exiſtimaverit S. Martyrem fulgorem hunc Jordanis ex Traditione didiciſſe*, *nam Codex noſter aperte clamat ſcripta non defuiſſe Exemplaria Sacrorum Evangeliorum prioribus etiam Sæculis*, *quæ hujus Ignis meminiſſent*. *Monachus etiam ipſe*, *quamvis magnæ Eruditionis vir*, *tamen* (*abſit invidia verbo*) *in eo lapſus fuiſſe videtur*, *quod putaverit nihil vetare*, *cur idem Juſtino factum dicamus*, *quod nonnullis aliis Patribus*, *qui Libris Apocryphis uti interdum non dubitarunt*. *Subdit Cl. Vir hanc accenſi ignis hiſtoriam lectam olim fuiſſe in Evangelio*, *quo utebantur Ebionitæ*, *atque alio in Libro*, *qui inſcribebatur* : Paulli Prædicatio, *ac ex turbidis hiſce fontibus eam haurire potuiſſe Juſtinum*. *Sane*, *teſte eodem Monacho*, *Grotius ad Matth. XIII.* 16., *obſervat ejuſdem*, *de quo agimus*, *ignis*

mentionem fieri in Liturgia Syrorum, apud Severum Alexandrinum de Ritibus Baptismi. Cur igitur Justinus id hauserit, quod de Igne Jordanis scripsit, vel ex Traditione, vel ex Apocryphis monumentis, cum adhuc S. Eusebii Sæculo in Matthæi Textu id aperte legeretur? Addere poterat Iricus pervetustum S. Germani Codicem a Millio in Prolegomen. Nov. Testam. p. 73. allegatum, qui hæc habet: *Cum baptizaretur Jesus, lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes, qui congregati erant*; quæ sane Lectio a Bengelio quoque, in Apparatu Critico Part. II. in Matthæum, observata fuit; quæque cum Eusebiana plane convenit. Sic profecto est. In ea qua laboramus veterum Codicum inopia definire audent Critici, qua sane in re peccavit Johannes Ernestus Grabius, Tomo I. Spicilegii SS. Patrum, Grotium notare ausus, Justini verba sacro de Phænomeno, dum Christus baptizaretur, viso, ex Evangelio Nazaræorum, aut simili vetere Textu, fuisse eruta docentem. Verum ex paucis, quæ reliqua nunc deteguntur, monumentis, SS. Patres Textubus Scripturarum suis diligenter adhæsisse conati olim sumus, in Libris nostris *de Authenticis Sacrarum Scripturarum apud SS. Patres Lectionibus*; proindeque gloriamur novum opinioni nostræ accedere ex Codice Eusebiano monumentum; uti singulari ejusdem Lectione, interpretatio confirmatur nostra de *Forensi Judæorum Buccina*, seu Buccinatore *Gallo* dicto, quod idem Iricus in allegatis adnotationibus monere dignatus est. Sed ad institutum statim.

L X V I.

Nempe aperiendum nobis est, quid revera fuerit *lux ingens* illa, quæ adfulsit in Baptismo Christi? quid *ignis* ille *apparens* tunc temporis? quid *ignis super aquam visus*? quid ignis in Jordane

dane accensus ? quid *illuminatio* & *illustratio* illa ? quid *Lumen circumfulgens de aqua* ? de quibus allegati Scriptores loquuntur . Nil aliud ea omnia fuisse adparet statim, quam quod jam diximus, Majestaticam scilicet Domini præsentiam , *Gloriam Domini* , Nubem Gloriæ ; donum præcipuum prioris Templi . Siquidem præconcipiendum non temere est , de φωτὶ dictum fuisse in Græcis Evangeliorum Codicibus , sensu certe Hellenistico , & sensui vocum correspondente δόξα Κυρίου , σκήνωσις , ceterarumque jam explicatarum . Mirum jam vero esse nulla ratione debet, si aut Græci , aut qui longius aberant a Mysteriis ejusmodi Latini , non intellexerint quid Lux illa , quid Lumen illud foret , quo circumfultus in Baptismate fuit Christus . Recedere illos a veritate potissimum oportebat , quod ignorarent sermonem Biblicum , usurparent voces scilicet , non in Biblico , sed in populari sermone usurpatas , & ad græcæ modo Linguæ proprietatem flexas, aut quamproxime ejus ad analogiam accedentes; uterenturque vocibus quidem Biblicis , sed alia ac prorsus diversa significatione quam apud Judæos ætatis Christi ; quod adhucdum vel apud temporis nostri Hebræos frequens esse , queritur Buxtorfius , ut videre est in ספר קבוצים , sive Philologico - Theologicis ejus Catalectis Num. CLXXXI. Exceptis Judæis , Samaritis proprie dictis , & Nazaræis , nemo vel eorum , qui in Palæstina secundo vivebant Christi Sæculo , hebraice sciebat ; dumque voces φῶς , δόξα , σκήνωσις , similesque in Scripturis offendebant Christiani prioris ætatis etiam Interpretes , eorum haud subibant animum adparitiones divinæ in igne , aut in flamma ignis vetere in Testamento memoratæ ; non Columnæ ignis atque nubis , non materia lucida sive in Deserto , sive in Monte , sive in Templo nudis Hebræorum oculis

 olim

olim visa ; & cujus restitutio ad Messiam spectasse credebatur ; heinc de igne dixerunt , quid foret tamen vix imaginati ; quod scilicet aut nullum , aut imperfectum haberent modo cum rudibus ex Circumcisione Credentibus commercium .

L X V I I.

Factum inde suspicari quis posset , nil in Codicibus nostris Evangeliorum comparere de igne ac splendore illo , de Luce ac Lumine quod Gloriam Domini restitutam repræsentaret ; præsertim quum συνοπτικῶς illa omnia ab Apostolis repræsentata videantur, ut Johannis Buxtorfii ספר קבוצים , sive Catalecta Philologico - Theologica nos monent . *Postquam recensuerat Matthæus* , uti superius legimus , *initio tertii Capitis Johannem Baptistam in Judeæ Deserto prædicasse , ipsam porro Concionem ejus subjungit his verbis :* μετανοεῖτε , ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν . Resipiscite, appropinquavit enim Regnum Cælorum. *Nemo tamen existimet intra hanc verborum paucitatem constitisse Johannis prædicationem . Officium ejus , ut & corruptissimi illius temporis ratio plura longe exigebant & ampliora . Et plura quidem ab eo dicta fuisse , liquet ex reliqua hujus Capitis serie . Quinimo Lucas Cap. III.* 18. *diserte asserit* , Johannem multa alia exhortando populo evangelizasse . *Sic itaque existimandum est, Matthæum his verbis potissimum Concionum Johannis argumentum attingere , idque ad duo veluti capita revocare voluisse , mandatum scilicet , & caussas resipiscentiæ* . Quum itaque & Johannes Evangelista Cap. XXI. multa alia facta fuisse doceat ad Christum pertinentia , quæ tamen in Evangeliis scripta minime fuerunt , quid mirum tacite tantum descriptam ab Evangelistis Gloriæ Domini adparitionem in lavacro Christi , quam vix demum futura ætate ad Christianam spectare posse Religionem liquido

quido noſcebant ? aut, quod ſatius remur, quod de Reſtitutione ſacrorum meteororum nil veteres Chriſtiani cogitarent, ablatam ab aliquibus Codicibus ignis tunc viſi narrationem, in Euſebiano adhuc reliquam; iccirco ſola Traditione, & idonea quidem certaque, memoriam miraculi adſervatam, cujus rationem doctiores ſaltem adtigiſſe viſi ſunt; ut enim mox vidimus, Græci in Euchologio, ſeu in precibus Sophronio Hieroſolymorum Patriarchæ adſertis, Jordanem converſum canebant, *ignemque Deitatis corporaliter deſcendentem*, dum baptizaretur Chriſtus. Et in Officio Dominicæ III. poſt Oct. Paſchæ, juxta Ritum noſtrum, in ſecundo legimus Reſponſorio: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, vocem dederunt nubes; illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ*; quæ ad ſplendorem Baptiſma Chriſti conſecrantem referuntur; hujus vero ideam rei cum imagine Nubis Gloriæ convenire quis inficiari poſſit?

LXVIII.

Ceterum, ipſa ex Evangeliſtarum narratione, factum, quo de agimus, conſequi eruique poſſe nulla ratione dubitandum. In Conſecratione illa Chriſti narrant adhuc noſtri Evangeliorum Codices, medium viſum d ſcedere Cælum, viſumque Sanctum Spiritum de cælo deſcendentem tamquam Columbam, & ſuper Servatoris caput manentem, auditamque de cælo vocem: *Hic eſt Filius meus dilectus*. Non deſunt, qui Lucæ verba Cap. III. quibus deſcendiſſe ait Spiritum Sanctum *ὡσεὶ περιστερὰν quaſi Columbam*, ex illis ejuſdem Lucæ ſe arbitrantur interpretari poſſe Cap. X. *Videbam Satanam, ὡς ἀστραπὴν ſicut ſulgur de cælo cadentem*, ceu motus ſignificaretur potius Phænomeni tunc de cælo labentis, quam ſpecies ipſa, & figura. Ita & loquutus videtur Seneca in Thebaide, Act. III.

Aut

Aut qualis cadit
Delapsa cælo stella, cum stringens Polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam:

Aut, uti opposita veluti imagine apud eumdem, Octavia de Britannico:

Sæva cui lachrymas dedit.
Etiam Noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque & vultus Deo
Similes volanti flamma fervens abstulit.

Cælum igitur tunc apertum fuisse Christo præconcipimus;

Exin candida se radiis dedit icta foras lux:
Et simul ex alto longe pulcherrima præpes
Læva volavit avis;

Intelligimus nempe Spiritum Dei inconspicuum per se, nec ulla indutum forma corporea; *ea est enim*, ut Boëtius ajebat Libro de Consolatione Philosophiæ primo; *divinæ forma substantiæ, ut neque in externa dilabatur, nec in se externum aliquod ipsa suscipiat*; ut olim tamen, sub priore Templo, in nube lucida exhibitum, a Johanne conspectum fuisse descendentem super Christo, ea ratione, qua descendere super aliquid Columba solet, eique insidere; vel quasi Columbam repræsentasset, σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, quum Lux, aut quod apparuit Phænomenon, Columbam aliquatenus referret. Ita reapse & Clericus rem enarrat, in Historia Ecclesiastica Sæculi I. ad annum Æræ Vulgaris XXVI. *Cum vero Jesus ablutus & ex aqua egressus genua flexisset, ut Deum oraret, tum discedentibus subito utrinque nubibus, cælum veluti apertum visum est, atque ex summo æthere descendit Spiritus Sanctus, instar Columbæ, in flammula conspicua, quæ insedit capiti Jesu*,

Jsu, auditaque simul est vox e cælo Dei dicentis: Tu es Filius meus &c. Manifestasse tunc igitur se credimus præsentiam Numinis Majestaticam, quod ratio temporis postulare profecto videbatur; idque expectabatur a Judæis; aut eorum caussa, liberali beneficio præstare Deum voluisse suspicamur; siquidem eorum erat in effatis: *Quacumque hora homo jugum Regni Cælorum suscipit, tunc Schechina venit, & in capite ejus* (super eum) *consistit,* וקאים לסהדא עליה סהיד, *& apud eum stat tanquam testis,* סהדותא קמי מלכא קדישא *ut testimonium ferat coram Deo*; ut ex Sohar Exod. fol. 66 col. 262. eruere est. Heroicorum ex memoria temporum Phænomena ejusmodi imaginari solebant etiam Vates, quum Numinum in terris præsentiam auxiliumque speciale significare satagebant; heinc Æneidos Lib IX. Nubes conspecta dicitur splendore insignis, quum Matris precibus adductus Jupiter Trojanorum naves, singulari prodigio, instanti incendio eripere, totidemque in marinas Nymphas statuit convertere.

Hic primum nova lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab aurora cælum transcurrere nimbus
Idæique Chori: tum vox horrenda per auras
Excidit.

Videtur enim nubes, dum initiaretur Christus, heinc inde discessisse, tum circumfulsisse ingens Lumen, de quo tam aperte allegati Scriptores, quod aliud non erat quam *Schechina* sive *Gloria Domini*, ceu, ut verbis utar Senecæ, Naturalium Quæstionum Lib. VII. Cap. 20., *dum aliquando lacuna retro cedentis aëris patuit, & vastum in concavo lumen*. Exclamare posses illud Æneidos IX.

Me-

Medium video discedere cælum,
Pallantesque Polo stellas.

Nam & postquam nubes lucida, seu *Schechina*, tunc quum baptizaretur Christus, apparuerit, animadvertunt hunc ad locum Hammondus & Clericus, exauditum fuisse tonitru, & cum tonitru vocem, veluti Consecrationis solemnitatem, atque impositionis manuum e cælo, qua Christus missus ostendebatur in Propheticum officium: quod postea simili fere ratione, die Pentecostes sacro, communicavit cum Apostolis. Ita certe Victimas & Sacrificia Deo accepta significatum fuisse, pro heroicorum Mysteriis temporum, docebant Veteres. Æneid. VII.

Hic Pater Omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit: radiisque ardentem lucis & auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.

Sic & Veteres Sacerdotia auspicabantur, præsertim Hebræi, ut vidimus in Consecratione Aaronis. Auctor siquidem Levitici eam quum describeret, narrata unctione novi Sacerdotis a Moyse facta, ipsum inducit primitias Sacrificiorum pro se ipso ac pro Populo, Deo offerentem, quibus redditis, apparuisse Gloriam Domini subjicit, ignemque cælitus descendentem devorasse holocaustum. *Ingressi autem Moyses*, inquit Cap. IX. *& Aaron in tabernaculum testimonii, & deinceps egressi, benedixerunt populo. Apparuitque Gloria Domini universæ multitudini. Et ecce egressus ignis a Domino devoravit holocaustum, & adipes qui erant super altare.* וירא כבוד יהוה אל כל העם : ותצא אש מלפני יהוה ותאכל על המזבח אח העלה *Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.* Idem vero contigisse in Servatoris Consecratione, & dum

dum suum cælitus auspicaretur Ministerium, ostendit apertissime Scriptor ad Hebræos Cap. V., ubi illa: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipse clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum°: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα, ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτόν· Υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Utique in Consecratione Christi non subucula linea intervenit, balteusque aut tunica hyacinthina, non Rationale, aut Unctionis oleum, aut aliquod ex reliquis, quibus initiatus est Aaron; nullus, dum ipse baptizaretur, mactatus est Agnus, non ceteræ interfuerunt rituales cærimoniæ; sed una modo coruscasse dicitur nubes Gloriæ, adparuitque profecto *Schechina*, quo, Aaronis instar, consecratum eum Hebræis dicere potuerit summo jure Paullus, & solenniori pompa, Aaronis instar, clarificatus. Spiritus ergo Sanctus, qui conspicuo apparuit modo in Baptismo Christi, quemque nudis se vidisse oculis Johannes adfirmabat, ipsa fuit Majestatica Domini præsentia Judæis in adventu Messiæ, ut ipse verbis, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, spoponderat, restituta & reddita.

Q CA-

CAPUT X.

Restitutam fuisse Gloriam Domini in Transfiguratione Christi in monte Ithabyrio. Visio Christi & Discipulorum tunc temporis collata cum Visione Moysis in monte Sina. Ea de re Altmanni animadversio. Johannis & Petri testimonia illustrata. Interrogatio tunc a Discipulis facta confertur cum Oraculo Baptistæ. Non Eliam modo, sed Moysen etiam, diebus Messiæ, pro Traditione Judæorum, apparere debuisse: quod in Transfiguratione factum. Schoettgenius, Altingius, Reizius, Hammondus allegati. Origo Veterum Chiliasmi, & opinionis mox adventuri Mundi finis. Burnetius oppugnatur.

LXIX.

Visa jam vero iterum eadem Gloriæ nubes in monte Ithabyrio, dum coram Petro, Jacobo, & Johanne transfiguratus est Messias. Sic enim ea de re Sacer Textus Matth. XVII. *Et resplenduit facies ejus sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes .... nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Fulsisse tunc denuo שכינה Gloriam Domini, ex ipsa rei descriptione patet. Dicitur Messiæ vestitus instar fulguris albus & coruscans; facies ejus sicut Sol resplendens, & nubes lucida obumbrans cum Domino Discipulos; nubes, inquam, corusca & lucida, ceu igneum Phænomenon in media cadente nube, qua circumdati fuerunt. Ejusmodi, ut sæpe jam monuimus,

mus, erat nubes Gloriæ שכינה, five Gloria Domini, quæ in Sancto Sanctorum Templi corufcare confueverat ætate Salomonis. Quam bene narratio Transfigurationis Christi allegata, & Difcipulorum Vifio, cum Vifione Moyfis convenit in monte Sinai, & adparitione Dei! Sic de ifta quippe Exodi Auctor Cap. XXIV. *Cumque afcendiffet Moyfes, operuit nubes montem. Et habitavit Gloria Domini fuper Sinai, tegens illum nube fex diebus: feptimo autem die vocavit eum Dominus de medio nubis. Erat autem fpecies Gloriæ Domini, quafi ignis ardens fuper verticem montis, in confpectu filiorum Ifraël. Ingreffufque Moyfes medium nebulæ, afcendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Quam belle, inquam, ea quæ Moyfi, Sinæ in monte, evenerunt, cum iis conveniunt, quæ viderunt Apoftoli in monte Ithabyrio! Utrobique Gloria Domini per lucis nubem ræprefentata: utrobique obumbratio Nubis, & Dei vox ex eadem exaudita. Tam illuftre Phænomenon cum adparitione Gloriæ Domini contulit Johannes Altmannus, Tomo II. Obfervationum Philologico-Criticarum in Libros Novi Teftamenti, ubi ad Matthæi illa: Νεφέλη φωτεινὴ ἐπεσκίασεν αὐτούς, *Hæc verba*, fcribit, *obfervationem aliquam petunt, cum non ftatim occurrat, quid fit* nubes lucida. *Nubes communi fenfu eft collectio vaporum in aërem afcendentium, indeque nubes lucida eft collectio radiorum clariffimæ lucis, quæ Jefum atque fanctiffimos Viros illuftrabat. Nubes quondam erat fignum Divinæ præfentiæ, ut legimus Exodi XL.*: Operuit nubes tabernaculum teftimonii, & Gloria Domini implevit illud: nec poterat Moyfes ingredi tectum Fœderis nube operiente omnia, & Majeftate Domini corufcante, quia cuncta nubes operuerat. *Cum autem Deus fe in Vetere Teftamento manifeftaret in nube non pel-*

lucida sed subobscura , jam adveniente Christo cum manifestatione Regni sui & gloriæ suæ , evanescit quidquid in Œconomia veteri tenebricosum & subobscurum erat , atque in clarissima luce se jam ostendere , & manifestare incipit . Subolfactam vides his in verbis ab Altmanno veritatem , quam fuisset fortasse consequutus , si de restauratione sacrorum meteororum Testamenti veteris in adventu Christi promissa & expectata cogitasset , & accuratius nubem Israëlitis visam cum nube in beata Christi metamorphosi adparente contulisset ; si denique uti ab antiquissimis Judæis , ita ab Apostolis & Evangelistis nubem illam animadvertisset *Gloriam Domini* appellatam . Johannes reapse , qui tunc adfuerat , conceptis id testatur verbis , Capite Evangelii I. 14. *Vidimus Gloriam ejus* , inquiebat , ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ , Transfigurationem respiciens scilicet in monte Ithabyrio perpetratam ; eademque ratione qui adfuerat æque Petrus , I. Cap. Epistolæ II. ita infit : *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam : sed speculatores facti illius magnitudinis . Accipiens enim a Deo Patre honorem & Gloriam , voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica Gloria : Hic est Filius meus dilectus &c.* λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν , φωνῆς ἐνεχθείσης αὐτῷ τοιᾶσδε ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης · Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός . Vides vocem Biblicam δόξαν , quæ denotat שכינה *Gloriam Domini* . Vides ut ex ea apud Judæos argumentetur Apostolus de virtute & præstantia Christi , ceu restituta inferre vellet , uti ipsi expectabant , prioris Templi miracula & dona .

L X X.

Non possumus heic , quin in iis , quæ Evangelista adjicit , paullulum immoremur . Discipuli , qui Transfigurationi aderant ,

שכינה

שכינה Gloriam Domini, non expectatam tunc, scilicet Ithabyrio in monte, adesse subito mirati, *levantes oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum*. Itaque Moysen & Eliam jam recessisse animadvertentes, ut ad hunc locum adnotat Hieronymus, interrogaverunt Dominum his verbis: *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* Dicere ceu vellent: *Quid nam est, Præceptor, quod mox vidimus? Apparuit Gloria Domini in nube corusca & lucida. Nonne oportet tamen, Pharisæorum opinione, redire primum, & inter nos versari Thesbitem Eliam, antequam, ut olim, per* שכינה *Deus manifesta det præsentiæ suæ signa? Nonne præcipuum hoc est ex donis illis, quæ restauranda dicuntur ab Elia?* Mirum sane, quantum interrogatio hæc, si cum interrogatione conferatur Sacerdotum & Levitarum, qui missi fuerunt ad Johannem; mirum, inquam, quam egregie postrema hæc interpretationem nostram de Baptismate in Spiritu Sancto & igne confirment & illustrent! Vix primum Gloria Domini ab Apostolis conspecta, num venisset igitur Elias rogant: idque non alia profecto de caussa, nisi quod Restitutio Gloriæ Domini, pro receptissima Pharisæorum Traditione, cum Eliæ adventu erat componenda. Sed & vix primum, ministerium auspicatus erat suum Baptista, quæsiverunt ab eo Sacerdotes & Levitæ: *Num Elias foret ipse?* Negavit ille. Cur obsecro? Profecto, quod uteretur Baptismo tantum aquæ: Elias autem, eorum opinione, baptizaturus fuisset in Spiritu Sancto & igne: quod tamen, uti Johannes subjicit, erat modo præstandum a Messia. Quid vero eximium præstat nunc Messias, quidve illud est, quod in Discipulorum memoriam revocat Eliam? Restitutio certe *Gloriæ Domini* in nube candescenti & lucida; Divina veluti præsentia, quam, uti

uti Judæi in Annalibus legebant suis, sive in Deserto, sive in Monte Sina, adque Tabernaculum prioris Ædis, in materia aliqua lucida igneave aut candescente conspicuam se præstitisse noverant, in rubo igneo, in Columna ignis, aut in Columna nubis. Baptismus ille igitur in Spiritu Sancto & igne, quem Pharisæi ab Elia expectabant, nil aliud erat, quam amissorum restauratio donorum, quorum præcipuum non Elias, sed, ut Baptista portenderat, restituit Messias in Monte Ithabyrio.

LXXI.

In illa Transfiguratione vero Domini, non Elias modo adfuit, verum etiam Moyses, ut ea quoque in re nosse Judæi possent vel Traditionum, uti innuebamus, suarum complementum. Animadvertit Christianus Schoettgenius in Horis Hebraicis & Talmudicis ad Cap. XVII. Evangelii Matthæi, antiquam fuisse apud Recutitos Traditionem, non Eliam modo, sed & Moysen temporibus Messiæ apparere debuisse. Debbarim rabba sect. 3. fol. 255. 2.: *Dixit Deus S. B: Mose, per vitam tuam, quemadmodum tu vitam tuam posuisti pro Israëlitis* בעולם הזה *temporibus Veteris Testamenti; sic quoque* לעתיד לבא *temporibus Novi Testamenti* (scilicet Messiæ) *quando Eliam Prophetam ad ipsos mittam: vos duo eodem tempore venietis*. Testimonium hoc eidem confirmandæ Circumcisorum spei adfert R. Bechai in Legem fol. 59. col. 1., cujus ad verba ita Jacobus Altingius in Schilo, seu Libro I. Cap. 8. De Vaticinio Patriarchæ Jacobi: *Quæ R. Bechai de Mose refert, ipsi tempore Messiæ Redemptoris ultimi concessum iri ingressum in terram sanctam, qui ante negatus fuerat; comitemque fore Eliam; cujus assertionis testem facit Commentarium magnum in Deuteronomium; consentanea sunt historiæ Evangelicæ,* nar-

narranti Jesu Christo transformato in monte terræ Israëlis simul apparuisse & collocutos esse Mosen & Eliam, sermone habito de ipsius exitu, quo futurum erat, ut defungeretur in Jerusalem. Fuse hoc argumentum pertractavit Johannes Adamus Leonh. Reizius in Commentatione Theologica, cui titulus: כבוד יהוה במשיח נראה במשה, sive, *Gloria Domini Messiana, quam Moses videre gestivit, Exodi XXXIII. in Transfiguratione Christi tandem, uti promissum fuerat, illi solenniter ostensa.* Tachuma pariter fol. 42. 1: *Dixit Deus S. B. ad Mosen:* בע״ הז *Temporibus Veteris Testamenti feci te Principem super Israël:* ולע׳ הב *sed temporibus Novi Testamenti quando Justi venient mercedem accepturi, tu venies omnium primus.* Confundebant tum temporis homines hujusmodi, Messiæ dies cum Sæculo futuro; quod Messiæ Regnum in terris imaginarentur; quamvis enim haud desint, qui Judaicam phrasim העלם הבא, nempe *Sæculum futurum*, inductam velint oppugnandæ Sadducæorum Hæresi, quorum aliqui Resurrectionem mortuorum & durationem animæ negabant; certum tamen, temporibus Christi & Apostolorum, inter alia significasse etiam ימות המשיח *dies*, vel *tempora Messiæ*; quo sensu non veteres modo Judæorum Magistri eam usurparunt, sed Christus ipse & Apostoli; uti & aliam "ימים אחרים", quæ sane non novissimos & postremos denotare semper dies debet, sed postera tempora, posterosque dies; quod sibi petere videntur etiam radices verborum העלם הבא, ex quibus Judaica phrasis ימים אחרים derivata est.

LXXII.

Haud ignoramus quidem, illarum ex ambiguitate vocum ortum esse Veterum aliquorum (numquam tamen Ecclesiæ Decretis con-

consecratum) Chiliasmum ; uti & opinionem de advenituro mox fine Mundi ; quæ fortasse numquam obtinuissent , si Græci & Latini veteres Interpretes Judaicas calluissent phrases , Syriacosque dicendi modos ; in quibus etiam si aliqua fuisset ratione versatus Thomas Burnetius, ausus profecto non fuisset postremum errorem asserere Apostolis. *Quid mirum* , inquiebat in Opere posthumo de Statu Mortuorum Cap. 7. , *privatos & inferioris subsellii Christianos a vero aberrasse in hac parte , quum Apostolos ipsos in eadem fuisse sententia ex eorum dictis colligant Interpretes ?* Ita ne vero ? Ast sani Interpretes , nisi certe fallimur , de mente Apostolorum verba faciunt sat nondum in Fide ac Religione institutorum , & ante miram Christi ascensionem in cælum ; non vero de Petro Christi morte redemptos hortante ut peccata declinarent, vigilarentque in orationibus , *propterea quod omnium finis appropinquaret ; πάντων δὲ τὸ τέλος ἤγγικε* . I. Petri IV. 7., non de Johanne semel iterumque filiolos monente suos , quod *novissima hora esset ; ἐσχάτη ὥρα ἐςί* . I. Johann. II. 18. Hujuscemodi quippe in loquutionibus , similibusque pæne infinitis , respici finem Judaicæ Reipublicæ evincit , qui hacce in re est etiam fortasse nimius , suis in Adnotationibus Hammondus . Antequam vero Evangelica in veritate solidati essent Christi Discipuli , quid mirum , si , receptas juxta suorum Traditiones , Messiæ adventum haud longe abesse a fine Mundi cogitassent ? Eas utique Quæstiones enodare tunc noluit Servator ; sive quod omnigena lux ea nondum adhuc deceret tempora ; sive quod excidium , casus , clades & finis Urbis & Reipublicæ Judaicæ , umbra quædam typus & figura essent perturbati Ecclesiæ status ultimis diebus , ipsiusque adeo Mundi finis & consummationis omnium ; sive tandem quod divina id præsti-

tum

tum Œconomia adferamus, ne in ipsis Legationis suæ auspiciis evertere velle videretur Christus receptas magis Judæorum Traditiones, receptissimaque præconcepta ad Messiæ characteres aliqua ratione jure pertinentia; quorum imo ope confirmanda erant novæ Dispensationis Sacramenta, Messias ipse ostendendus, ferenda Ecclesia in Synagoga, hæcque honestiore qua poterat sepelienda modo: quare, non adhuc concesso Discipulis Christi Sancto Spiritu, nondum nudæ veritati eorum oculis apertis, suis innocuis in Traditionibus versari adhuc possent, quæ certa lege consecratæ, viam Mysteriis altioribus sternebant. Hac igitur, sive hac etiam de caussa Moysen & Eliam apparuisse arbitramur in Transfiguratione Domini, quum scilicet conspecta fuit Gloria Domini in Monte Ithabyrio, ut jam advenisse expectata tempora hisce ex signis Judæi, vel pro receptis opinionibus, dignoscerent.



R CA-

CAPUT XI.

Interpretationem nostram de Lumine in Monte Ithabyrio adparente non convenire cum erroribus Græcorum. Quid ea de re senserint Græculi Barlaamus, Acindynus, Palamas, David Monachus, ex Johanne Cantacuzeno, Pontano, Petavio, & Allatio, cujus prolixum adfertur testimonium. Johannis Damasceni & Gregorii Nazianzeni illo de Lumine sententia. Non esse in Transfiguratione Domini confundendam Nubem Gloriæ cum fulgore vultus Christi & vestimentorum ejus. Maimonides & Abarbineles allegati.

LXXIII.

ANtequam procedamus tamen, sedandi hic leves semper Scholasticorum animi, qui nos cum Gregorio Palama, cetérisque Græcis, olim de Lumine quod in Transfiguratione Domini apparuit delirantibus, convenire, pro recepto calumnias turbasque struendi more, fantumare possent. Eorum de erroribus agunt Leo Allatius *Lib. II. Cap.* 17. *de Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione*; & Dionysius Petavius, *Theologicorum Dogmatum Lib. I. & III.* Quid igitur ea de re senserint Græculi satis erit in medium producere, ut nosse inde valeat quisque per se, quantum in enarratione nostra ab eisdem elongemur. Refert Petavius Lib. I. Cap. 12., ex Tomo Synodico, Acindynum Barlaami Discipulum anathematis sententia perculsum fuisse, quod cum cetera illius amplecteretur; tum hoc; *quod Lumen illud Dominicæ Transfigurationis quod a beatis Discipulis & Apostolis,*

qui

qui cum Christo simul ascenderunt, creatum niteretur ostendere, & circumscriptum, nec iis, quæ sub sensus cadunt, ulla re præstantius. πολλῶν τε ἄλλων ἕνεκεν, καὶ ὅτι τὸ φῶς τὸ τῆς Κυρίου μεταμορφώσεως, τὸ τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ μακαρίοις μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις ὀφθὲν, κτιστὸν ἐπιχείρει δεικνύναι καὶ τῶν αἰσθητῶν φώτων πλέον ἔχον οὐδέν. Palamas contra, ut Petavius Lib. III. Cap. 5. allegati Operis monet, lumen quoddam aspectabile prædicabat a Deo diversum, eique coæternum, & minime creatum, quod ex illius Majestate, veluti radiorum lumen e Sole emicaret: Hanc esse Dei gloriam, illam, regnum illud, quod Scripturæ Sanctorumque Patrum Libri, frequenti sermone celebrant: Ita Græcos vero Præsules in Conciliabulis aliquot decrevisse; quæ contra Barlaamum & Acindynum, fautoresque eorum habuerunt; ut ex Tomo Synodico constat, ubi illa: *Cum quæsitum esset, uti ex Sanctorum auctoritate Patrum approbaretur, lumen illud Transfigurationis Domini increatum esse; neque tamen id esse substantiam Dei: universos fere pronunciasse: hoc ipsum in quarta Actione demonstratum fuisse: in qua præsentes Ecclesiæ adversarii modo creatum istud, & phantasma, & velamentum, & adumbratam speciem perspicue blasphemantes esse dicebant: modo hoc impie profitebantur, increatum esse, & ipsam Dei substantiam.* μετὰ τοῦτο ἐζητήθη δειχθῆναι παρὰ τῶν ἁγίων, ὅτι τε ἄκτιστόν ἐστι τὸ φῶς τὸ τῆς Κυρίου μεταμορφώσεως, καὶ ὅτι οὐκ ἔστι τοῦτο ἡ οὐσία Θεοῦ· καὶ ταύτης [illegible], ὅτι ἀπεδείχθη τοῦτο κατὰ τὴν τετάρτην συνέλευσιν, ἐν ᾗ παρόντες οἱ ἀντιλέγοντες τῇ ἐκκλησίᾳ, τοῦ μὲν κτιστὸν εἶναι τοῦτο, καὶ φάντασμα, καὶ παραπέτασμα, καὶ ἴνδαλμα φανερῶς βλασφημοῦντες ἔλεγον. νῦν δὲ τοῦτο δυσσεβῶς ἔλεγον, ἄκτιστον, καὶ οὐσίαν εἶναι Θεοῦ. Easdem Græculorum ac Palamitarum indoctas, immo sacrilegas fabulas refert & approbat in Historia sua Johannes Cantacuzenus

Lib. II. Cap. 39., & 40., ubi de illo Barlaami & Palamæ conflictu, ac ceteris ejusmodi mentionem facit. Nam Monachos ait asseverasse, Apostolos Ithabyrio in Monte, *corporis oculis divinum & increatum lumen aspexisse*, τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς θεῖον, καὶ ἄκτιστον φῶς θεάσασθαι. Et postea, Palamam ait probasse, *Lumen illud, quod in Thabore Discipulos circumfulsit, fuisse gloriam Dei initio carentem; & lumen Divinitatis, ac Divinitatem, & naturalem ac sempiternum Dei fulgorem*. ἀποδείκνυ τε ἐκ πολλῶν τῶν λεγομένων τὸ κατὰ τὸ Θαβώριον τοῖς μαθηταῖς περιαστράψαν φῶς, δόξαν ἄναρχον τοῦ θεοῦ, καὶ φῶς θεότητος, καὶ θεότητα, καὶ φυσικὸν, καὶ ἀΐδιον τοῦ θεοῦ φῶς. David quoque Monachus, quem in Adnotationibus ad Cantacuzenum citat Jacobus Pontanus, in Relatione de dissidio Barlaami & Palamæ, idem narrat, *Divinum quippiam & increatum esse lumen illud: quod & Deitas a Sanctis appellatur. Non est tamen substantia Dei, sed operatio, gratia, gloria, splendor a divina substantia in Sanctos emissus*. ὅτι θεῖον μὲν ἐστι, καὶ ἄκτιστον τὸ φῶς ἐκεῖνο, καὶ θεότης παρὰ τῶν ἁγίων ὀνομάζεται, οὐκ ἔστι οὐσία θεοῦ, ἀλλ' ἐνέργεια, καὶ χάρις, καὶ δόξα, καὶ λαμπρότης ἐκ τῆς θείας οὐσίας εἰς τοὺς ἁγίους πεμπομένη. Hæc pluraque apud Allatium etiam, in loco, de quo diximus, prostant hoc de dissidio monumenta; in quibus tamen nonnulla turbata vides ac confusa, multa per errorem, multa per dissimulationem, per calumniam iramque & ignorantiam, Græculis illius ætatis proprias, pronunciata. Ceterum agebatur tunc, an a Dei substantia differrent reipsa operationes illius & proprietates? qui Palamæ, ejusque Sectæ error erat; agebatur, an præter Deum res aliqua reapse fuerit ab æterno, Luxque illa Ithabyrio in Monte ab Apostolis conspecta an coæterna Deo fuerit? quod statuere Palamas videbatur, opinione ad Manichæorum hæresim

per-

pertinente, uti contendit Petavius; quibus certe ab erroribus infinitum distare Exegesim nostram gloriamur.

LXXIV.

Haud ignoramus nonnulla subjicere Allatium, quæ prima fronte cum iis quæ docuimus consonare prorsus non videntur. Allegatis ille copiosissimis Synodici Tomi testimoniis, Lib II. citati Operis Cap. 17. hæc habet: *His, ut jam vides, Lector, Barlaamus condemnatus asseritur de duobus capitibus. Palamas absolutus non est: tum Barlaamo tum Palamæ silentium de dogmatibus imponitur. Condemnatio illa quomodo se habuerit, non liquet. Quid ergo nobis Cantacuzenus tam de Barlaamo, quam de Palama, adeo diversa obtrudit? Nicephorus Gregoras, oculatus etiam ipse testis, refert, de Dogmate nihil actum esse, ob præsentiam imperitæ multitudinis; tum, ne Theologiæ mysteria profanis Vulgi auribus ingererentur; tum, ne Palamas, contra disputante Barlaamo, blasphemæ doctrinæ convinceretur: Synodum vero, lumen in Thaborio, increatum, & ipsum naturale Dei lumen fuisse, difficile adducor ut credam decrevisse, cum falsum omnino decrevisset. Quidquid enim adversarii afferant; quod corporeis oculis videtur, increatum non est; Lumen Thaborium corporeis oculis a Discipulis visum est: tum quidquid corporeis oculis videtur, creatum est; Lumen Thaborium corporeis oculis visum est; ergo creatum est, & nullo modo increatum. Plura Philotheus Patriarcha & alii de hoc lumine, pro Palamæ sententia, editis etiam Libris disseruerunt: sed neque dictis argumentis respondent; firmumque & inconcussum stat: Quidquid est, aut Deus est, aut creatura; si Deus, ergo non conspicitur oculis corporeis; si creatura, non ergo increatum. Et dicta Patrum quæ pro Palamæ opinione agglomerant, Barlaami potius sententiam firmare,*

mare,

mare, *latissime probat Joannes Cyparissiota* Cap. IV. & V. Decadis sextæ. *Quemadmodum ex alia parte Josephus Bryennius*, Oratione de Transfiguratione Domini, *eorumdem dictis Palamæ sententiam corroborat*. *Quid ergo dicendum est? Patresne sibi invicem contraria tradidisse? Nequaquam. Quare, uti in rebus aliis, ita in hac quoque, media via progrediendum est, ne a veritate aberremus. Id cum non assecuti fuissent neque Barlaamus, neque Palamas, in varios errores lapsi sunt. Error itaque fuerit, asserere, Lumen illud in monte Thaborio non fuisse Deitatis illius gloriam, & lumen proprium, lumenque ab Essentia Divina emanans, quod unum & idem cum Essentia Divina erat, nec aliud, ut asserunt apertissime Patres, Ephræm Syrus, Joannes Damascenus, Dionysius Areopagita, Andreas Cretensis, Cosmas Melodus, Maximus Confessor, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Basilius Magnus, & Athanasius Synadenus. Splendor enim ille & lumen, ipsa Christi Deitas beata fuit, quæ per miraculum ad illud tempus tecta, ne oculis humanis sua Majestate officeret, & die cessante dicto miraculo apparuit, & Apostolorum oculos circumfulsit. Et argumentum de creato, & increato nihil concludit. Verum enim est, oculis corporeis increatum conspici non posse; at dum oculi in statu & conditione naturæ manent; sed si, diviniore vi corroborati, ad altiora eleventur, nil impedit, corporeis hisce oculis in eminentiorem statum sublevatis, Deitatem ipsam, & gloriam Deitatis, quæ una cum Deo est, videri. Idque expertissima ratione confirmatur. Nam beata Virgo, quam modo assumptam canit Ecclesia cum corpore ipso, Deum & Divinitatem ipsis oculis corporeis, sublevatis tamen, & divina vi confirmatis, intuetur. Et, post Judicium universale, Beati, resumptis corporibus, corporeis oculis gloriam*

riam

riam Deitatis Deitatemque ipsam conspicient. Sic & die Transfigurationis duplex miraculum cernimus; alterum, cum cessat esse in corpore Christi; alterum, quod Apostolorum oculos ad diviniorem aspectum excitat. Damnatus itaque est Barlaamus, quod lumen illud neque ex Divina Essentia, neque Divinam Essentiam esse affirmabat, & præterea corporeos oculos per nullam diviniorem potentiam adeo elevari posse, ut Deitatem conspiciant. Ex quo multa absurda sequi in doctrina Ecclesiastica manifestum est. Sic enim tolleretur Visio Beatifica post Judicium, & aliorum Sanctorum gloria, qui nunc in cælo dicuntur degere, divinam Dei naturam corporeis oculis aspicientes. Damnatus est etiam ex alia parte, & jure merito Palamas, dum lumen illud & operationem Dei, diversum quid ab ipso Deo, quamvis increatum constitueret; & cum illi duo increata, & duæ Deitates objicerentur, respondebat, id minime obstare; dari enim plura increata, & plures Deitates, imo ἀπειράκις ἄπειροι, quasi diceres infinities infinitas, *modo superiores, modo inferiores, & quæ oculis conspicerentur; quod plane nugari est, & ad Gentilium ineptias, majori etiam mensura, in tanta veritatis luce, referri. Quare jure etiam ipse, tamquam Hæreticus, & Deorum plurimorum cultum introducens, condemnatur. Qui vero media insistit via, ut supra diximus, cum Ecclesia & Sanctis Patribus sentit. Sic enim Deitas ipsa, illiusque lumen increatum, corporeis oculis, sublevatis tamen, videri poterit. Idque cum ipsi non perciperent, non tantum Palamas ipse, sed alii præterea qui ipsum secuti sunt, dum se ipsos a difficultate extricare conantur, in alios atque alios errores prolapsi sunt.* En universam hac de re Allatii doctrinam, cujus exundans adtulimus testimonium, ut in eo beare se, eo se pasci, de eo demum lætari, superbire, gloriari Scholastici possint, quo-

quorum palato nil suavius ac dulcius, nil poterit esse jucundius.

LXXV.

Plurima se se objiciunt in eo tamen animadversione digna: Quid enim illa, obsecro, Historicorum sive Scriptorum pugna super actis in caussa Barlaami & Palamæ? Quid silentium de Dogmatibus impositum? Condemnatio illa, quomodo se se habuerit, non liquere testatur Allatius, deque Dogmate in Synodo nil actum. Vereor, ut cum Viro docto loquar, ut eorum verba satis intellecta fuerint, utque consectaria iis sint adtributa, quæ ex eorum sententia duci posse videbantur, quamvis forte ea negarent. Sic in plerisque ejusmodi controversiis fieri amat, in quibus invidiosissime sententia adversariorum proponitur, omniaque sensisse dicuntur, quæ ex eorum doctrina, vi consequentiarum, interdum violenter detortarum, elici posse videntur. Ad quod accedebat propria rei, quæ agebatur, difficultas, orta cum ex re ipsa, quæ captum nostrum superat, tum ex vocibus obscuris, quibus exprimi solebat. Dissentientium hominum in tenebris micantium sequebantur iræ, anathemata, vexationes, quibus ita exardescebant animi, ut jam se invicem satis non intelligerent, imo intelligere nec vellent. Lumen ab Apostolis Ithabyrio in monte visum, nil fuisse aliud, subdit Allatius, quam Deitatis gloriam, lumenque proprium a Divina Essentia emanans, iccirco Deitatem ipsam sublevatis Apostolorum oculis adparentem. Id Patres dixisse non negamus, quamvis Deum corpoream quamdam lucem esse non imaginati fuerint. Quî fieri enim poterat, Patres id demum docuisse, quod in Ophitis Sethianisque, Numen quasi lumen quoddam in Bytho, beatum, immortale, & infinitum describere solitis, adeo notabant; uti

uti apud Irenæum videre est, Lib. I. Cap. 30. ? Itaque voce luminis metaphorice usos eos esse nulla ratione dubitamus; una enim Deum ἀόρατον prædicavere. Aperte S. Johannes Damascenus in Homilia de hac ipsa gloriosa Metamorphosi: ἀλλ' οὐ παραβάλλω, οὐδὲ συγκρίνω τὸν μόνον μονογενῆ, καὶ μηδενὶ εἰκαζόμενον τῆς θείας δόξης τὸ ἀπαύγασμα, ἀλλὰ σαρκὸς δεσμίοις φθεγγόμενος, τῶν σωμάτων ὅ, τι κάλλιστόν ἐστι λαμπρότατον, πρὸς παράδειγμα φέρω οὐ πάντως ὁμοιότατον &c. *At non comparo, neque confero unigenitum illum & divinæ Gloriæ splendorem, cui nihil assimilari potest*: (cum lumine quod ab omnibus cernitur), *sed quia mihi cum iis, qui carnis vinculis stringuntur, oratio est, id quod inter corpora præstantissimum & fulgentissimum est, in exemplum accipio: non quod simillimum ipsi sit; neque enim id, quod creatum est, adæquata similitudine in re creata exprimi queat; verum veluti Sol, quamvis unus sit*, &c. Ita Gregorius Nazianzenus, Oratione de Baptismo Christi; *Ac quidem Deus*, inquit, *summum & inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans . . . Secundum lumen est Angelus, primi illius luminis velut rivulus quidam aut participatio, per propensionem ad illud, ac ministerium illuminationem habens . . . . Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum & manifestum est*; φῶς *enim, idest lumen, hominem vocant, propter rationis nobis insitæ vim & facultatem*. Θεὸς μὲν ἐστι φῶς τὸ ἀκρότατον, καὶ ἀπρόσιτον, καὶ ἄρρητον· οὔτε νῷ καταληπτὸν, οὔτε λόγῳ ῥητὸν, πάσης φωτιστικὸν λογικῆς φύσεως . . . δεύτερον δὲ φῶς ἄγγελος, τοῦ πρώτου φωτὸς ἀπορροή τις καὶ μετουσία, τῇ πρὸς αὐτὸ νεύσει καὶ ὑπουργίᾳ τὸν φωτισμὸν ἔχουσα . . . . τρίτον φῶς ἄνθρωπος, ὃ καὶ τοῖς ἔξω δῆλόν ἐστι· φῶς γὰρ τὸν ἄνθρωπον ὀνομάζουσι, διὰ τὴν τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου δύναμιν. Intellectuales igitur natu-

ras metaphorice Gregorius lumen appellat, ob lucis præstantiam & nobilitatem; quod & aliis Patribus frequens, qui tamen quum ubique incorpoream lucem Deum appellent, uti luculenter videre est apud Petavium Tom. I. Lib. III. Cap. 5. quomodo incorporei luminis splendor esse potuit, *facies Christi resplendens sicut Sol*, & *vestimenta ejus alba sicut nix*, in Monte Ithabyrio? Aut igitur metaphorice loquuti etiam Evangelistæ; aut necesse Patribus fuit, non potuisse nitide explicare ea, quæ humanum omnem captum profecto excedere videntur.

L X X V I.

Ceterum, vel cum Scholasticorum & Veterum enarrationibus convenit adhuc optime nostra hypothesis de *Gloria Domini* adparente in beata illa Metamorphosi. Inquit enim Matthæus: *Et post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illum in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos; & resplenduit facies ejus sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix; & ecce apparuerunt illis Moyses & Elias &c.* Ita prorsus Evangelistæ ceteri, qui subjecta Petri petitione, & descriptione gaudii, quo fruebantur omnes qui in monte aderant, ita orationem prosequuntur: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos: & ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus &c.* Ita Matthæus, inquam, Cap. XVII. & clarius Lucas IX. Cap. 29.: *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgens. Et ecce duo Viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in Majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant somno; & vigilantes viderunt Majestatem ejus, & duos*

Viros

Viros, qui stabant cum illo. Et factum est cum discederet ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, unum tibi, unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret; Hæc autem illo loquente facta est nubes &c. Hisce ex narrationibus videt quisque, non confundendam nubem lucidam ex qua vox, cum fulgore vultus Christi & vestimentorum ejus; nubem post verba Petri adparentem, cum Christi Majestate, quam, antequam Petrus loqueretur, mirati fuerant Apostoli. Hanc igitur ad Majestatem, hancque ad gloriam referendum lumen illud Deitatis proprium Divina emanans ab Essentia, quod a Deo ipso distinguendum non esse docent optime Theologi, quodque sublevati Discipulorum oculi vidisse ferunt in monte Ithabyrio; cum, quo tamen stat adparitio createæ nubis, nubis, inquam, Gloriæ, quam והאור הנברא *creatam lucem* vocat Maimonides, More Nevochim Lib. I. Cap. 64., & quam *Abarbineles* existimavit illam ipsam esse primigeniam lucem, quam Deus in principio creavit, uti Burnetius refert, Capite de Statu Mortuorum, & Resurgentium X., quam ab igne atque æthere alii non distinguunt; quamque hujusmodi revera fuisse ostendunt traditæ iterato ejus a nobis descriptiones. Dum igitur שכינה *Schechina*, fulgentemque nubem, ut olim Salomonico in Templo, quum μεταμορφωθεὶς Servator, conspicuam factam dicimus, (quod & voces Biblicæ, & Quæstiones Discipulorum tunc statim de Elia, luculenter manifestant), neque cum Palama convenimus, increatum lumen aliquod a Deo distinctum, tunc visum adserentes, neque cum Barlaamo facimus, Deitatem nudis oculis conspectam imaginati, aut nil aliud præter vulgarem nebulam in-

Transfiguratione adparuisse; quod ex nostra Exegesi absit eruere ut possint litigatores Scholasticorum filii.

CAPUT XII.

Gloriam Domini conspicuo adparuisse modo in Conversione Paulli, & in Martyrio Stephani. Nubes Gloriæ quam vidit B. Stephanus egregie ab Uldrico explicata. Gloria Domini visa Paullo, collata cum adparitione ejusdem nubis Gloriæ, qua gavisi olim sunt Moyses, Daniel, & Elias. Adparitiones Dei & Angelorum tonitru aliquando præcedi solitæ. Jamblichus & Oracula Chaldaica allegantur. De lucidis Phænomenis agitur, quæ apud Ethnicos circumferebantur. Fæditus perperam disserens contra Grotium & Clericum. Oudendorpius, Canterus, & Ursinus allegati. Ex imperfecta corruptaque Patriarcharum, vetustissimorumque Traditione temporum, ortam, uti ceterorum portentorum, ita præsentiæ Numinum igneis in phænomenis, aut per phænomena, heroicis temporibus, opinionem. Taubmannus & Reiskius ejusmodi origini suffragantur. Egregius Gregorii Nazianzeni locus, quo sacra meteora in Christi adventu visa cum iis confert, quæ veterem Œconomiam illustrarunt.

LXXVII.

SEd ad alias properemus *Gloriæ Domini* adparitiones. Acta Apostolorum, narratis iis, quæ Vir Dei Stephanus de pacto retulit cum Abrahamo & Nepotibus, deque Moyse & egressione filiorum Israëlis ex Ægypto, de Tabernaculo testimonii, & Tem-

Templo Salomonis ope ædificato; narratis ejus de ingrato Judæorum animo querelis, subjiciunt Cap. 7.: *Cum autem esset plenus Spiritu Sancto intendens in cælum, vidit Gloriam Dei*, εἶδε δόξαν Θεοῦ; quæ ad verba ita in Horis Hebraicis Schoettgenius: *Per* δόξαν Θεοῦ *intelligitur Schechina* שכינה, *scilicet Majestas Divina*. Nempe sibi videri visa est Gloria & Majestatica Numinis præsentia; & ea ratione quidem, qua Patriarcharum ætate videbatur, aut fulgebat in Templo Salomonis. Id satius haud enarrare possumus, quam si ea exscribamus, quæ, in Oratione ad allegata Beati Martyris verba Act. VII., habuit Johannes Jacobus Uldricus, ubi Phænomenon illud sacrum fuse interpretatus est. Inquit enim: *Vidit Stephanus* δόξαν Θεοῦ *Gloriam Dei, idest, siquidem ea saltem, quæ & judiciosæ simplicitati, & analogiæ Scripturarum quammaxime congruere videntur, omissis infinitis aliis in hanc rem dicere debeamus; vidit non quidem, qui Patrum quorumdam inculti ingenii error fuit, ipsam gloriosam Dei naturam, & intimam essentiam. Quis enim, nisi crassis & sordidis de Divinitate imbutus præjudiciis, Deum, qui absolutissimæ perfectionis Spiritus est, carnis oculis adspectabilem prædicet? Sed vidit Dei Gloriam, idest vidit hanc Dei Essentiam in glorioso aliquo Symbolo & Simulacro externo mystice repræsentatam; seu vidit adspectabilem aliquam, & lumina oculorum Stephani inusitata ratione ferientem Divinæ Majestatis speciem, qua Deus etiam alias singulari modo præter ordinariam suam præsentiam demonstrare solitus est, ita ut ubi illa appareret, ibi ipse Deus in emphasi interfuisse censendus fuerit. Nihil enim in Scriptura vulgarius, quam ejusmodi speciem* Gloriæ Divinæ *nomine indigitare; sed qualis jam proprie illa species fuerit, hujus ulterior nobis relinquitur disquisitio, & fœcunda isthic conjectura-*

rum

rum materies est. Species quid si illa primo quidem fuerit lucida quædam & Majestatica nubes, qualis illa fuit, qua olim in futuræ suæ ἐν σαρκώσεως præludium ipse æternus Dei Filius, immensum Majestatis suæ decus, condebat, ex qua Oracula fundebat, miracula patrabat, per quam Populum Israëliticum in tesquis Arabicis palantem, de die quidem, & dum ardentes Solis radii fulgerent, tenui rore diffuso refocillabat; noctu vero in ignem versa facem illis præferebat, & per deserti devia, ad promissam Canaan deducebat; qualis etiam illa fuit, qua in monte sancto beatum illum Cælitum & Semicælitum chorum, Mosen & Eliam, Petrum, Johannem & Jacobum Jesus glorificatus inumbrabat, & ex qua gloriosissima illa Dei Patris vox, tamquam ex latebris tonitrui resonabat. Profecto illam nubem vulgo Hebræis עכן הכבוד Nubem gloriæ, *imo in ipsa Scriptura plus semel* יהוה כבוד, Gloriam Domini, הכבוד Gloriam, & quidem Gloriam illam, *appellari adeo notum & provocatum est, ut ulteriori demonstratione non indigeat; hanc autem* αὐτόπτης *Petrus II. Epist. I. 17. signanter epitheto* τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης *insignit. Quid si fuerit* βασιλικὸς θρόνος, *seu Regale aliquod celsumque solium, lucidissima & multo splendore corusca nube, tamquam velo quodam pellucido obtectum, cui species humanæ similis, at valde verenda, Regisque os habitumque gerens, verbi gratia, toga talari ad morem Orientis Dominorum & Domitorum, purpura inducta & diademate, & sceptro insignis; hoc certe citra ullam falsi, vel temeritatis suspicionem, imo ex analogia plurimarum aliarum ejusmodi Visionum Exstatico-Prophetica, statuere licet. Et duo quidem sunt, quæ huic conjecturæ fidem conciliant; primum est, quod thronus ejusmodi* ἀναμφιβόλως *gloriosi Regis Symbolum esse solet, qui quo est augustior, eo splendidiori ampliorique solio utitur; alterum,*

rum, quod Deo alioquin etiam frequenter placuerit, humana se specie, ut throno insidentem intimioris apud se admissionis hominibus videndum exhibere. Ita certe Deum plus simplici vice Johannes in Apocalypsi, sed & ita Ezechiel, Daniel, ita Jesaias tandem viderunt, de quo ultimo memorabile admodum est, quod tum quidem, ubi Deum ita vidit, τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, *ut in Græca Novi Testamenti Editione, quæ Tiguri anno supra millesimum quingentesimum quinquagesimo nono lucem adspexit, legitur vidisse asseveretur. Johann. XII 41. Quid si* Gloria ista Dei *fuerit purissimæ lucis & subtilissimæ materiæ cælestis, aut in figuram ejusmodi, aut in immensum aliquem globum & verticem collectæ & conglomeratæ, infinita quasi quædam multitudo & copia, quæ fulgore suo, non modo astrorum splendorem imitaretur, sed & Solis ipsius splendorem longe superaret? Et revera in toto hoc Universo nulla adspectabilis & sensibilis qualitas est, quæ nobis Majestatem & gloriam Dei magis repræsentet, & vividioribus coloribus depingat, quam lux, claritas, & fulgor insolitus. Angelos certe quum cælestem terris gloriam in apparitionibus suis erant illaturi, fulgida ejusmodi veste Deus circumposuit, imo eodem eximio modo Angelum fœderis in Thaboritico illo cælestis gloriæ præludio amictum voluit. Quid quod de Deo ipso in Psalmis dicitur* : Operit se luce tamquam vestimento, *Psalm. CIV. 2., & apud Paullum :* φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, *I. Timoth. VI. 16. Ast non hoc solum est, quod hanc conjecturam nobis probabilem reddit, sed accedit aliud quid, quod eamdem plusquam talem efficit; scilicet inficiari nemo audet, præfulgidam etiam ejusmodi lucem illustri Scriptorum* Θεοπνεύστων *pari exerte splendido* Gloriæ Domini *titulo insigniri. Moses enim postquam Exodi XXIV. 16. dixisset :* Et habitavit Gloria Jehovæ super montem Sinai, *mox totidem verbis*

bis subjungit : At aspectus Gloriæ Jehovæ fuit, ut ignis consumens in vertice montis ; *ibidem vers.* 17. *Lucas vero Evangelista ignotæ illius lucis nitorem , qui ipsis Christi Natalibus oculos animosque Pastorum Bethlemeticorum percussit , & cœcam in ipso conticinio noctem in diem ire jussit , in signum Orbi in tenebris & umbra mortis sedenti natum esse illum , qui in Scriptura non solum Stella splendida & matutina , sed & lux Mundi , & Sol justitiæ audit , descripturus , ait* : Καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς , & Gloria Domini circumfulsit ipsos . *Lucæ II. 9. &c. O beatum , imo* τρὶς καὶ τετράκις *talem , Stephanum , cui tot & tanta uno quasi oculi ictu videre contigit* ! Gloria igitur Domini, quam moriturus vidit Stephanus , eadem illa erat , quam viderant Pastores in ortu Salvatoris , eademque quam viderant in Monte Ithabyrio Apostoli ; eadem denique quam conspexerat in Monte Sina Moyses ; ipsa illa corusca nubes quæ Populo præfulserat , quæque Salomonis Templum illustraverat ; fuit revera idem restitutum tandem sacrum Phænomenon ; quod Beatus Martyr, antequam moreretur, significatum voluit Judæis, quo videlicet restituta prioris Templi dona animadverterent & scirent , Jesumque iccirco Messiam esse fateri cogerentur .

LXXVIII.

In mira vero Conversione Paulli compendio restituta & renovata cernimus ea omnia , quæ antiquis temporibus evenire consueverant , dum se conspicuum Deus manifestabat Populo aut Prophetis . Jam enim ea in Actis Apostolorum Capite prostant nono : *Et cum iter faceret* (Paullus) *contigit , ut appropinquaret Damasco : & subito circumfulsit eum lux de cælo ; & cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule , Saule , quid me persequeris ?*

ris ? Qui dixit : Quis es Domine ? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit : Domine quid me vis facere ? Rursus Paullus ipse in Apologia sua, ut Capite habemus Actorum XXII., universum suæ narrans Conversionis ordinem : *Factum est autem*, inquit, *eunte me, & appropinquante Damasco, media die, subito de cælo circumfulsit me lux copiosa : & decidens in terram audivi vocem dicentem mihi : Saule, Saule, quid me persequeris ? . . . . Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum*. Restituta ac renovata tum dixi priorum temporum miracula, Gloriamque Domini Paullo, ut olim Patribus, manifestatam.

LXXIX.

Reapse, nonne ita descendit olim Dominus in monte Sina, in fulgure videlicet & tonitru, coram omni plebe Moysi loquuturus ? Ita sane legimus Exodi XIX. *Et ait ei Dominus : Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me Populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum . . . . . . Jamque aderat dies tertius & mane inclaruerat : & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem . . . Totus autem Mons Sinai fumabat : eo quod descendisset Dominus super eum in igne*. En, fulgore & tonitru signa adventus Dei data ; quod frequentissimum in adparitione שכינה *Gloriæ Domini* ; scilicet, non semper mollis instar & temperatæ nubis e cælo descendebat, aut quieto & placido, sicut Columba, motu ; sed aliquando fulgescentis instar flammæ, fulgure comitatæ & tonitru, nec non Majestatico quodam splendore, qui non adsuetos tantæ luci oculos terrebat. Sic, ut Lucas ait Capite II., *ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, timuerunt ti-*

more magno Pastores, dum Gloria Domini in Servatoris ortu ipsos circumfulgeret. Sic & Discipuli in Transfiguratione Domini, teste eodem Evangelista Cap. IX. quum Gloria Domini obumbraret eos, *ἐφοβήθησαν ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην*, *timuerunt ingredi in nubem*. Sic Saulus denique, quum videret

claram dispergere fulmina lucem
Adventum testata Dei,

eo timore correptus est, quo ad Sinæ verticem Hebræi.

L X X X.

Circumfultum a luce Paullum, & eos qui cum eo erant prope Damascum, narrat Historicus Divinus, Lumenque præcessisse vocem, uti in Visione Numinis, quæ contigit Eliæ, quaque gavisum eum tradit Auctor Libri IV. Regum Cap. XIX. his verbis: *Et ecce Sermo Domini ad eum, & ait ei: Egredere & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in Spiritu Dominus; & post Spiritum commotio: non in commotione Dominus; & post commotionem Ignis: non in Igne Dominus; & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ; & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia? .... Et ait Dominus ad eum &c.* Simile quid accidit Danieli, quum adparuisset ei Michaël Angelus Judæorum Princeps, cujus *corpus quasi chrysolithus, & facies ejus velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens: & brachia ejus, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum ejus, ut vox multitudinis. Vidi autem ego Daniel*, subdit, *solus Visionem: porro Viri qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in abscon-*

abſconditum. (Danielis Cap. X.) Frequentia erant, aut credebantur Veteribus ejuſmodi portenta; & neſcio quid horridum ac terribile in Numinis adventu; nam & Jamblichus, Libro de Myſteriis Ægyptiorum I. Sect. II. Cap. 4. *Archangelis*, inquit, *adparentibus, partes quædam mundi ſimul commoventur, & prævia quædam lux eos præcurrit, ſed diviſa; Ipſi vero, pro magnitudine adminiſtrationis ſuæ, conſentaneam oſtendunt ſplendoris magnitudinem.* Ἀρχαγγέλων ἐκφαινομένων μοῖραι μέν τινες συγκινοῦνται τοῦ κόσμου, καὶ πρόδρομον φῶς προηγεῖται διῃρημένον. Αὐτοὶ δὲ κατὰ μέγεθος τῆς ἡγεμονίας σύμμετρον ἐπιδεικνύουσι, καὶ τὸ τῆς αὐγῆς μέγεθος. Hanc, qua vetuſtiſſimis temporibus Numina adparere dicebantur, rationem egregie deſcripſit Poëtarum Princeps, dum, Æneidos VIII., Venerem e cælo deſcendentem inducit, arma a Vulcano fabricata Trojano Duci deferentem:

Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant,
Æneas Anchiſiades, & fidus Achates;
Multaque dura ſuo triſti cum corde putabant;
Ni ſignum cælo Cytherea dediſſet aperto.
Namque improviſo vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit: & ruere omnia viſa repente,
Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.
Suſpiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens.:
Arma inter nubem, cæli in regione ſerena,
Per ſudum rutilare vident, & pulſa ſonare.
Obſtupuere animis alii: ſed Troïus Heros
Agnovit ſonitum, & Divæ promiſſa Parentis.

Numquam vero lux, ſplendor, ignisque nuncii ac præludia Numinis adparere dicebantur, quin inde emiſſa vox quoque exaudiri

crederetur. Heinc monitum illud quod exſtat inter Oracula Chaldaica verſ. 319.

> Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐϊερὸν πῦρ
> Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλου διὰ βένθεα κόσμου
> Κλῦθι πυρὸς φωνὴν

Scilicet: *Quando videris ſine forma ſacrum ignem ſplendentem ſaltuatim per profunda totius Mundi, audi vocem ignis*; hoc eſt, ex igni emiſſam, uti explicant Interpretes; atque ut Moyſi olim, Eliæ, & Danieli contigiſſe legimus, qui poſt lucem, lumen, flammam & viſa fulgura, vocem ſibi loquentem audierunt; quare reſtitutis veri in adventu Servatoris Judaico in Populo donis illis, vox iterum emiſſa lucido ex Phænomeno; uti dum baptizaretur præſertim in Jordane Chriſtus; tum nempe apertis cælis, & Sancto fulgeſcente ſuper eum Spiritu, *ecce vox de cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. (Matth III 17) Sic in lucida illa ſplendentique Transfiguratione Chriſti, *vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*. (Lucæ IX. 35.) Sic, ut Johannis XII. habemus, poſtquam dixiſſet Chriſtus: ἐλήλυθεν ἡ ὥρα ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis*; & poſtquam Divinum ita oraſſet Patrem: πάτερ, δόξασόν σου τὸ ὄνομα. *Pater, glorifica nomen tuum*. *Venit ergo vox de cælo*, ſubjicit Evangeliſta, *Et glorificavi, & iterum glorificabo*. Ἦλθεν οὖν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· Καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. Proſequitur Evangeliſta: *Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alii dicebant: Angelus ei loquutus eſt*. Ὁ οὖν ὄχλος ὁ ἑστὼς καὶ ἀκούσας, ἔλεγε βροντὴν γεγονέναι. Ἄλλοι ἔλεγον· Ἄγγελος αὐτῷ λελάληκεν. Vides, ut alias ſæpe, tonitru ſignum præſentiæ Dei datum. Sic, ut Æneidos IX.

le-

legimus, dum cum Romulo pugnaturus votum facit Ascanius:

Audiit, & cæli Genitor de parte serena
Intonuit lævum.

Licet tonitru cum Angelis confunderent nonnulli Judæorum, quod adparitiones Angelorum meteoris illis præcedi solitas, ex Historia suæ Gentis, exque Prophetarum Commentariis dignoscerent.

LXXXI.

Antequam procedamus tamen, admirationi occurrere fas sit, quæ legentis animum subire posset, ob ea quæ profanis ex Scriptoribus adtulimus illustrandæ explicandæque adparitioni שכינה sive *Gloriæ Domini*; ea ratione quippe videretur Deus præsentiæ dedisse signa suæ, qua Ethnicis sua præconcipiebantur adesse Numina; quod quidem & a veritate abhorrere novit quisque per se, & nostro scribendi Canoni videtur adversari, qui *Baptisma in Spiritu Sancto & igni* non ex Græca & Romana Eruditione, sed ex Judaica modo enarrandum docebamus. Nonne violatæ Religionis acriter postulati fuerunt Grotius, Clericus, atque etiam Malebranchius a Fædito, in Animadversionibus suis ad Virgilium, quod Ethnicorum prodigiis Judaici Populi Miracula comparassent aliquando, aut iis usi fuissent, illustrandis rebus miris, quæ in Vetere Testamento memorantur? Qui nexus Oracula inter Chaldaica, & Scripta Prophetarum?

LXXXII.

Huic, inquam, objecto occurramus necesse est; qua equidem in re animadvertendum ducimus, nos phrasim sane, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, ceterasque ejusmodi apud Novi Testamenti Scriptores dicendi formulas, præsertim ἅπαξ λεγομένας, non ex Græca aut Romana Oratione, sed ex Syro-Chaldaica dia-

lecto,

lecto, exque præconceptis Judæorum Traditionibus enarrandas arbitratos esse; quin tamen res & eventa ipsa factis profana ex Historia derivatis illustrari posse inficiati umquam simus. Quid enim prohibere valet poëticis nos uti descriptionibus insinuandæ veritati? Ut ut fuerit vero de mente, ratione, & consilio Grotii & Clerici, de quibus hic quærendum minime arbitramur; errare tamen umbraticum Doctorem Fæditum nulla ratione dubitamus, qui piaculum existimavit, profanis uti aliquando imaginibus & prodigiis, ad res sacras clarius explicandas. Prodigia ejusmodi, eo quo ab Auctoribus Ethnicis feruntur pacto, evenisse non asserimus, quæ idonea remur tamen iis confirmandis, quæ Sacris a Scriptoribus relata sunt. Cl. Franciscus Oudendorpius, *Præfatione in Julium Obsequentem*, horum fidem ac memoriam prodigiorum Politicorum filiis deberi asserit; neque enim ignotum arbitratur, diligentem prodigiorum procurationem sæpe habitam fuisse maximarum Victoriarum caussam; contra vero illorum neglectioni turpissimas clades fuisse imputatas; non alia quidem de caussa, quam ut simplex ac religiosa plebs, quæ quo magis credebat prodigia, eo etiam plura nunciabantur, Magistratibus, ad quos Sacrorum cura pertinebat, esset obnoxia, & ad ipsorum nutum cuncta perageret. Jure igitur ac merito ludibundos non modo Poëtas carminibus suis ea intexuisse subjicit; verum etiam gravissimis Historiarum conditoribus (quos inepte hoc nomine accusare statuit nonnullos) visum fuisse, se operæ pretium facturos esse, si prodigiorum ad res gestas & Rempublicam pertinentium commemorationem Operibus suis immiscuissent, & quo quæque tempore, quibusque rerum momentis acciderint, diligenter adnotavissent, licet ipsi nullam iis fidem habuerint, aut eorum vim agnoverint.

LXXXIII.

LXXXIII.

Nos rem tantam ſeverius in examen revocantes, eminentiorem remur originem eorum, quæ de prodigiis ſenſere Ethnici. Nempe, etſi Politicorum filiis haud perperam aſſeratur, cum adſervata eorum commemoratio, tum opinio etiam, in qua verſabatur Populus, feris ea temporibus adhucdum evenire ſolita; communiſſima tamen Gentium fuit omnium perſuaſio de prodigiorum frequentia apud vetuſtiſſimos primoſque omnium Mortales; unde ars orta, eadem evulgandi deteriori ævo, & nonnullorum ſuperſtitio, qua rurſus eadem contingere credita & perſeveratura apud ultimos Nepotes. Eam de prodigiorum veritate apud vetuſtiſſimos homines opinionem ab iis etiam propugnatam legimus, qui ſuorum portenta temporum ridebant; cujus teſtem rei Catullum damus, Lib. ad Cornel. Nepot. ubi ait:

Præſentes namque ante domos inviſere caſtas
N.reus & ſe ſe mortali oſtendere cœtu
Cælicolæ, nondum ſpreta pietate ſolebant.
Sæpe Pater Divûm Templo infulgente reviſens,
Annua dum feſtis veniſſent ſacra diebus,
Conſpexit terra centum percurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnaſſi vertice ſummo
Thyadas effuſis Evantis crinibus egit:
Quum Delphi tota certatim ex Urbe ruentes
Acciperent læti Divum fumantibus Aris.
Sæpe in lethifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis Hera, aut Ramnuſia Virgo
Armatas hominum eſt præſens hortata catervas.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,

Juſti-

Justitiamque homines cupida de mente fugarunt ;
Omnia fanda , nefanda malo permista furore
Justificam nobis mentem avertere Deorum .
Quare nec tales dignantur visere cœtus ,
Nec se contingi patiuntur lumine claro .

Qui igitur ætate sua nullum præsentiæ signum dare solitos fatebatur Deos , id olim præstitisse tamen , Heroicis nempe temporibus, nulla videtur ratione dubitasse . Inducta apud Romanos Philosophia , Prodigiorum ejusmodi præterita etiam portenta ridebant Academici & Epicurei ; quare Tullii illa Lib. de Divinatione II. *Errabat multis in rebus Antiquitas , quam vel usu jam , vel vetustate immutatam videmus . Retinetur autem & ad opinionem Vulgi, & ad magnas utilitates Reipublicæ , mos , Religio , Disciplina , jus, augurium , Collegii auctoritas .* Sic & Horatius Egnatianos deridebat , Advenis persuadere cupientes , flammam apud se , sponte sua , Sacrificia corripere consuetam :

Gnatia lymphis
Iratis extructa dedit risusque , jocosque :
Dum flamma sine , thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit . credat Judæus Apella ,
Non ego .

Quo equidem in testimonio vides Flaccum fateri, ea in opinione , quam deridet , fuisse olim Recutitos ; non enim cælesti illo dono tunc temporis ipsi fruebantur ; nisi aliquid suspicatum eum dicamus de spe & Traditione Judæorum , qua divinus Ignis iterum descensurus , & Judeæ Genti restituendus dicebatur . De antiquissimis igitur, quæ circumferebantur prodigiis , dubitavere quidem posterioris ætatis Sapientes ; quare quæ Oudendorpius de Politica

&

& superstitione scribit, vera esse videantur. Cum Populo tamen iidem Sapientes in eo consentiebant, ut Heroicis temporibus prodigia evenisse famam esse faterentur; nam & videmus Livium in prioribus modo Historiæ Romanæ Libris, qui nempe vetustissimam Quiritum ætatem referunt, portentorum in narratione frequentem esse; inde eruimus, ex imperfecta licet & interpolata Patriarcharum, vetustissimorumque Traditione temporum, ortam, uti quorumdam aliorum portentorum, ita præsentiæ Numinum igneis in meteoris, aut per phænomena, de quibus diximus, opinionem. Poëtæ igitur, qui, Pictorum instar, suorum, vel non adeo antecedentium res & facta temporum Heroico amictu repræsentare satagebant, ex iis, quæ aut recepta fama, aut vetustiores referre consueverant Commentarii, suas hauserunt adparitionis & præsentiæ Numinum descriptiones; neque enim suo e penu omnia hausta ab inferiorum Gentium Scriptoribus imaginari fas est. Uti Vates nostri præstantiores, non ad præsentes modo alludere solent ritus atque mores, sed a Græcis Romanisque tot ac tanta mutuati sunt; ita illi antiquioribus a Poetis multa derivarunt. Non pauca ab Orpheo, Musæo, & similibus, qui illi ætate antecesserunt, furatum fuisse Homerum evincit Theodorus Canterus, Libro Variariarum Lectionum II. Cap. 3. Nonne infinita vero collegit Fulvius Ursinus in Virgilio suo Collatione Scriptorum Græcorum illustrato? Horum sane originem meteororum adtigisse videtur etiam Johannes Reiskius in Programmate, quo *Nimbum divinum* ex Veteribus commentatur. Postquam enim eum deprehendisse se dixisset, tamquam signum divinæ adparitionis, aut Divinitatis alicujus apud priscos indubium; quare Venus, quum se se apud Virgilium Æneid. II. Æneæ videndam obtulisse dicitur,

Pura per noctem in luce refulsit
Alma Parens .

hoc est , *in nimbo* , *qui cum Numinibus semper est* ; uti Servius adnotat . Nec multo post in Oratione Veneris ad Æneam :

Respice ; *jam summas arces Tritonia Pallas*
Insedit , *nimbo effulgens* , *& Gorgone sæva* :

Commentator ille pro nimbo nubem Divinam substituit, additque: *Nimbus enim est fulvidum lumen*, *quod capita Deorum cingit*. Quare, subdit Reiskius, si Servius tanta valet apud Eruditos auctoritate, quanta Grammatici antiqui novis Commentatoribus præstant, facile inducor, ut arbitrer, nimbum describi posse nubem raram, densamve, multoque cum lumine Deorum, aut Dearum capiti circumdatam. Ita videlicet nimbus Deorum & Dearum veterum adparitioni communis, erit nubes, eaque inusitata, aut extraordinaria, & præter communem ordinem in aëre supremo, medio, vel imo pendula, tamquam Dei, vel Deæ præsentis indicium & signum. Quo fit, ut Servius nubem Divinam nuncupet, hoc est, meteorum, seu φαινόμενον nubi haud dissimile, divino tamen nutu atque auspicio exortum. Nam paullo inferius ad versum Virgilii :

Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat ;

animadvertit idem Servius : *Proprie nimbus est* , *qui Deorum* , *vel Imperatorum capita quasi clara nebula nubere*, *hoc est* , *tegere* , *vel ambire fingitur* . Hæc postquam vero Numismatibus antiquis allegatus Auctor confirmavit vehementer, ita pergit : *Illud in quæstionem nunc ultimo vocabitur*, *unde ad Deos & Poëtas veteres nimbus primum derivatus fuerit ? Cum enim malignus Dæmon* , *tamquam mendacissimus Dei Simius divinas Historias in commenta* , *Sacraque superstitiosa converterit* : *parum abest* , *quin Taubmannum*

Com-

Commentatorem Virgilii præstantissimum sequar, & a Divinis adparitionibus, quæ Populo Israëlitico obtigerunt, nimbos poëticos arcessam. Siquidem Angelus Dei, vel Deus etiam ipse, quem Interpretes Græci vertunt, Israëlitis, per loca desertissima profectis, ne ab via deflecterent, tamquam dux & comes perpetuus antecessit, & interdiu quidem in Columna nubis, hoc est, nube per aërem, instar Columnæ, longius portensa, sive Divina aliqua nube, qualem ex Servio adduximus. Ad hoc exemplum credo ego, *Taubmannus ait in sua ad Crisim Virgilianam Præfatione*, Poëtas sancivisse, nullum Numen mortalibus apparere sine nimbo. *Quidni ad aliud adparitionis exemplum, quo Gloria, seu Majestas Divina in nube spectandam se præbuit? Hoc apud Mosen aliquoties in Exodi, Levitici, & Numerorum Libris contigisse legimus. Sic nubes & nebula Divinæ præsentiæ ac tutelæ indicium præsentissimum fuit sub Templi, a Salomone conditi, prima inauguratione, cum splendor mirificus, adjuncta caligine, universam Ædem subierat. Hinc ergo ad poëticam, sive mythicam Theologiam nimbus promanavit, sive nubes Divina, Servio auctore, & lumen illud fluidum, quo capita Deorum Dearumque cingi credebantur.* Quibus ex omnibus consequimur, adparitionem veri Numinis per שכינה, sive in nube candescenti & fulgida, fulgure aliquando copulata & tonitru, jure ac merito descriptionibus adparitionis Numinum, apud profanos Scriptores exstantibus repræsentari ac illustrari potuisse; quum, vel id ignorantes licet, nonnisi Patriarcharum ad prodigia, sub involucro Heroicorum temporum, posterioris ætatis Vates suis in carminibus alluderent.

LXXXIV.

Ceterum, ut ut profana ejusmodi omitteremus omnia, quæ

nonnisi ornandæ Orationis caussa in medium producta videri possunt ; stat adhuc procul dubio , *Gloriam Domini* שכינה , aut Majestaticam Numinis in Nube lucida præsentiam , ita in adventu Christi visam , uti in Æde Salomonis , & antequam Judæi dona illa sacratissima amitterent . Confirmat id vehementer S. Gregorius Nazianzenus , qui nil esto de שכינה *Gloria Domini* , restituta restaurataque juxta spem & Traditionem Judæorum , cogitasse videatur , Lucem tamen & Lumina , dum vitam inter nos ageret Servator , divinitus concessa , cum iis componit , iisque comparat , quæ veterem œconomiam olim illustrarunt ; sic enim Sanctus ille Pater , in Oratione de Baptismo Christi : Καὶ ἵνα πλείονα φῶτα δῶμεν τῷ λόγῳ , φῶς μὲν ἦν ἐκ πυρὸς τῷ Μωσεῖ φανταζόμενον · ἡνίκα τὴν βάτον ἔκαιε μὲν , οὐ κατέκαιε δὲ ἵνα τὴν φύσιν παραδείξῃ καὶ γνωρίσῃ τὴν δύναμιν . φῶς δὲ τὸ ἐν στύλῳ πυρὸς ὁδηγῆσαν τὸν Ἰσραὴλ , καὶ ἡμερῶσαν τὴν ἔρημον · φῶς τὸ Ἠλίαν &c. *Atque ut plura Lumina Orationi demus , Lumen igne conflatum erat , quod Moysis oculos in monte perstrinxit , tum videlicet quum ignis flagrantem rubum perurere atque absumere non poterat , ut videlicet & naturam suam indicaret , & Divinam potentiam declararet . Lumen præterea id erat , quod in ignis Columna Israëli præibat , ac Deserti asperitatem mitigabat . Lumen item , quod Eliam igneo in curru rapuit , nec raptum exussit . Lumen insuper , quod tum Pastores circumfulsit , quum Lumen temporis expers temporali miscebatur . Lumen quoque pulchrum illud Sidus in Bethleem præcurrens , ut & Magis viæ dux esset , & Lumen illud nobis sublimius , ad nos demissum , nobisque conjunctum , velut stiparet . Adhæc Lumen erat Divinitas illa Discipulis in monte velut per transennam ostensa , & quidem ita firma , ut vix eam oculorum acies ferre posset . Lumen*

item

item Viſio illa, quæ Paullum fulgore circumfudit, & per oculorum plagam tenebris animæ medicinam attulit. Lumen etiam illius vitæ claritas, his utique, qui animos ſuos a peccati ſordibus in hac vita perpurgarint: quo tempore nimirum Juſti fulgebunt ſicut Sol, & Deus in medio Deorum & Regum ſtabit, beatitudinis illius gradus atque dignitates diſtinguens & dividens. Lumen poſtremo, præter hæc omnia, proprio & peculiari modo, eſt Baptiſmi ſplendor. Videntur horum nonnulla quoque Judaicam redolere Eruditionem; nempe ad illa Apoſtoli I. ad Corinthios XV. Ἑτέρα ἡ τῶν ἐπουρανίων δόξα, adnotat Schoettgenius, vocem δόξα, opinione Judæorum, denotare hic ſplendorem quemdam, claritatem, & lucem, quum gloriam beatorum Cælitum in eo conſiſtere autumarent, quod ſplendore quodam Divinitatis fulgeſcere deberent; ſcriptum quippe in Bammidbar rabba ſect. 21. fol. 245 1. & Tanchuma fol. 75 1. *Facturus eſt Deus S. B. unicuique Juſtorum* חופה של ענני כבוד *Gloriam ex nubibus Majeſtatis Divinæ*; his imo veluti imaginibus utuntur aliquando Liturgici Chriſtianorum Libri; uti dum die feſto plurium Beatorum Martyrum ea modulamur: *In circuitu tuo Domine lumen eſt, quod numquam deficiet, ubi conſtituiſti lucidiſſimas manſiones: ibi requieſcunt Sanctorum animæ*; quibus omiſſis tamen, quam belle Nazianzenus adparitionem Luminis & Lucis Paſtoribus & Magis, in Baptiſmate Chriſti, in monte Ithabyrio, in Converſione Paulli, cum Lumine confert, quod Moyſi adparuit, Iſraëlitis, & Eliæ! Nonne Gloriam ipſam Domini illis in meteoris reſtitutam apertiſſime intelligimus?

CA-

CAPUT XIII.

De ceteris donis prioris Templi differitur, de igne videlicet cælitus descendente, deque Prophetico Spiritu & miraculorum dono in Messiæ adventu restitutis. Die Pentecostes sacro Apostoli & Discipuli linguis igneis baptizati. Quid Linguæ illæ. Dedicatio Ecclesiæ Christianæ eodem perpetrata modo, quo dedicatio Templi Salomonis. Testimonium Cyrilli Hierosolymitani. In quo a nobis vulgares differant Interpretes. Marckius notatur. Enarratur locus Evangelii Johannis Cap. XII. Soleichtius personatus & Lackemacherus a Verpoortenio oppugnati. Lamius laudatus. Bengelius & Schoettgenius citati. Non solo Pentecostes die, sed non semel adhuc, iterumque, Spiritus Sanctus conspicuo modo super Credentes & Credituros Apostolica in Ecclesia effusus. Selectiora ex Actis Apostolorum in rem nostram testimonia. De nobiliore Prophetiæ genere, deque Visionibus olim sacris, de quibus Doduvellus, & quas adversus Basnagium vindicavit Orsius. Petri locus ab Œdero explicatus. Cetera, de quibus agimus, Spiritus Sancti dona jam fuisse restituta adversus Burnetium ostendimus. Cur dona aliqua prioris Templi restituta, diu in Ecclesia Christiana perseveraverint, secus alia. De lucidis phænomenis posteriore ætate in Ecclesia visis. Laudati Justinus, Origenes, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius Turonensis, Sulpicius Severus. Hammondus vero, Clericus, Spencerus, Goarus, Morinus, Hieronymus de Prato, allegati.

LXXXV.

LXXXV.

SEd de ceteris donis prioris Templi a Messia præstantiore modo restauratis differere pergamus; de dono Miraculorum scilicet, deque divino igne e Cælo descendente. Refert Lucas, Capite Act. Apostol. I., Orationem quam habuit Christus antequam ascenderet in Cælum, quæ mirum quam conveniat cum Baptistæ Oratione! & quantum interpretationi nostræ lucis adferat! *Et convescens*, inquit de Christo sacer Historicus, *præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant*, subjicit statim Historicus, *interrogabant eum dicentes: Domine, si in hoc tempore restitues Regnum Israel?* Vides, ut vix memorato Baptismate Spiritus Sancti, vel in Spiritu Sancto, statim Judæi, pro recepta Traditione, animum intendunt ad restitutionem eorum, quæ Regnum Israëlis, Salomonici nempe gloriam Templi, illustrabant; ceu non esse posset Baptisma in Sancto Spiritu, nisi ex restitutione donorum, quibus Circumcisi post Captivitatem Babylonicam carebant; aut idem revera foret ejusmodi donorum restauratio, cum Baptismate in Sancto Spiritu. Quanam ratione vero non multos post dies baptizati fuerunt in Sancto Spiritu Discipuli? Egregie in rem nostram prodigium describit idem Sanctus Lucas Cap. II. his verbis: *Et cum complerentur dies Pentecostes, erant pariter omnes in eodem loco. Et factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto,*

&

& cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Egregia sunt heic in rem nostram S. Cyrilli Hierosolymitani Archiepiscopi verba Catechesi XVII. ita allegata Actorum commata enarrantis: *Pentecostes igitur cum esset, descendit Paracletus, ut indueret virtute, & ut baptizaret Apostolos*, καὶ ἵνα βαπτίσῃ τοὺς ἀποστόλους. *Non hæc dimidiata & quasi ex parte gratia, sed integra & ex toto effusa potestas. Sicut enim is, qui in aquis immergitur, & baptizatur, undequaque ab aquis cingitur; sic & illi a Spiritu baptizati, & obvoluti perfecte sunt* ὥσπερ γὰρ ὁ ἐνδύνων ἐν τοῖς ὕδασι καὶ βαπτιζόμενος, πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὑδάτων περιβάλλεται· οὕτω καὶ ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἐβαπτίσθησαν ὁλοτελῶς. *Baptizati sunt igitur & mersi absque ullo defectu juxta pollicitationem*. ἐβαπτίσθησαν τοίνυν ἀνελλιπῶς κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν. En igitur Baptisma nil aliud in Oraculo Baptistæ, quam consecrationem; en promissionem Baptismatis nil aliud, quam promissionem consecrationis, initiationisque per sacra phænomena perficiendæ; en una Miraculorum donum restitutum, & ignem de cælo descendentem; non quidem super Altaris holocausta, sed super viva cordium sacrificia; jam enim tum intelligere poterant debebantque Christi asseclæ, in oratione tum Baptistæ in Deserto, tum Servatoris etiam post Resurrectionem, respexisse eos quidem ad Victimas Legales, aut ad ignem ἱερατικῷ, quo cælitus delapso sacrificia quondam accensa ריח ניחוח odorem bonæ fragrantiæ coram Deo consequuta sunt: innuere voluisse tamen, post Messiæ gloriam, triumphata morte devictisque hostibus, futuros tandem aliquando homines viva sacrificia, Deoque accepta, futuros Victimas εἰς ὀσμὴν εὐωδίας in odorem suavitatis oblatas, quæ Spiritu Sancto desuper irruente accenderentur atque arderent; uti Ligtfootes animadver-

tit

tit etiam in Harmonia IV. Evangelistarum. Ignem illum vero, qui tunc descendit, vocat S. Lucas *dispertitas linguas tamquam ignis*, *διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς*, quod Hebræi, more nostro, flammam ignis appellarent *linguam ignis* לשון. אש, uti Isaïæ V. 24 quare dignoscamus, illarum extremitates flammularum in speciem linguæ fuisse veluti protensas, ex natura flammæ, cujus unaquæque pars pyramidalem in figuram desinit, qua figura ab aliis partibus dividitur; quo factum, ut singulæ flammulæ viderentur lambere non modo capita Apostolorum, atque in iis aliquandiu manere; sed ea etiam ardescere ratione, qua quum igne cælitus emisso consumerentur Altaris holocausta. Nec imo tunc *Gloriam Domini* שכינה defuisse dubitamus; nubem quippe ab illo vento abfuisse haud imaginari possumus; sed ea potius per ventum coacta, Ædem illam, in qua Discipuli Sanctum receperunt Spiritum, pari modo, quo olim Salomonicum Templum, dum initiaretur, impletam esse. Sane quidem ad dedicationem Ecclesiæ Christianæ miraculum illud Pentecostale pertinuisse, dedicationi Templi Salomonici haud multo dissimile non inficiabitur, qui *Gloriam Domini* super Christo in Jordane descendisse memorans, eamque tunc a Johanne modo visam, animadvertet promissam Discipulis fuisse, & similiter quidem descensuram; nempe Spiritu Sancto ea ratione donandos iri Credentes spoponderat Baptista, qua tunc donatus fuit Christus; quod equidem in Pentecostali Phænomeno adimpletum est.

LXXXVI.

Baptismum in Spiritu Sancto & igni, de quo Johannes, linguas hasce igneas respexisse docuerunt, fateor, cum veteres, tum recentiores etiam plurimi Interpretes; nulla tamen habita ratione

ignis olim descendentis ad consumenda Altaris holocausta; verius, nulla ratione habita Pharisæorum spei atque Traditionis de adventuro Elia Thesbite, & restituturo omnia, quæ Zorobabelico Templo deerant, in antiquum statum. Alio illi sensu verba Prodromi interpretanda præconcipiebant, novum quid promissum a Johanne arbitrati, gratiam nempe Divini Spiritus, cujus ingentissimam vim ignis metaphora repræsentaret; aut cujus singulare Symbolum essent linguæ igneæ, cum aliis sacris meteoris nulla ratione conferendæ. Quum vero eventus ille Pentecostalis censeretur a Marckio unus singularis, & ad Discipulos pauciores spectans, heinc ad eum Baptistæ verba minime esse restringenda idem contendebat, in Dissertatione hujus argumenti; quum non dona certis tantum Personis certo tempore collata a Johanne designata fuisse vulgaris opinio videretur, sed perpetuum & omnibus veris Christi Discipulis commune beneficium. Omnes sane perperam, nisi valde fallimur: quum hæc omnia Pharisæorum Quæstioni enodandæ vix esse potuissent adæquata; neque de aliquo Gentibus etiam communi beneficio tum temporis Judæi cogitarent, sed in spe versarentur modo restitutionis Regni Israëlitici, donorumque post Captivitatem amissorum.

LXXXVII.

Unum ex his donis descensu flammularum ignearum quum restaurasset feliciter Messias, mirum quî pretiosum adeo Symbolum, externum appellare perrexerit Marckius, & *levius quid in se, quam ut a Johanne tam magnifice ad Christi gloriosam beneficentiam commendaretur*. Nempe, nil de donis prioris Ædis cogitabat hic Auctor, nil de spe eorum restitutionis, nil de Traditione Judæorum; quin & Pentecostale Phænomenon a ceteris divellit

vellit

vellit sacris meteoris, quæ Christi adventum illustrarunt. Sed & num levius in se, quod Oraculis suis sanctissimi Prophetæ portenderunt? Num levius in se, quod in similitudinem erat ignis e cælo divinitus emissi ad consumenda sacrificia? Num levius in se, quod ingenti adeo spe sibi redditum Judæi expectabant? Num denique levius in se, quod Eliam mysticum, verumque Messiam, pro receptissimis Circumcisorum præconceptis, jam advenisse confirmabat? Sane dum Cap. Evangelii XII. refert Johannes, auditam de cælo vocem Christo clarificationem a Patre petenti dicentem: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*, subjicit statim Evangelista: *Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat, tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν· Οὐ δι' ἐμὲ αὕτη ἡ φωνὴ γέγονεν, ἀλλὰ δι' ὑμᾶς; ceu dicere Christus voluisset: *Equidem non hisce ego Phænomenis, non hisce indigeo meteoris, quo Filium me Dei esse tester vobis. Qui natura Deus sum, infinita possum. Divinitatem meam Lex quam adtuli, totque patrata miracula ostendunt. Hæ igitur quas de cælo auditis voces, hæ nubes coruscæ & lucidæ, quæ non semel, postquam inter vos versor, adparuerunt; flammulæ quæ super Credentium capitibus descendent, cetera ejusmodi, quæ, prodigiorum instar Templi Salomonici, vobis se impræsentiarum conspicua reddunt aliquando, non alia ratione eveniunt, nisi quod in Messiæ adventu ea iterum conspicienda vos docuerint Sapientes vestri. Vel hac via vos cælestis Pater meus, pro immensa benignitate sua, ad veram vult veritatem ducere & doctrinam.* Adeo & magni momenti, & mysteriis referta erant, quæ leviores homines esse levissima contendunt.

LXXXVIII.

Hocce profecto sub intuitu igneas illas si respexisset linguas personatus Soleichtius, in male nata Commentatione *de Linguis Apostolorum dissectis redintegratis*, eas non retulisset ad silentium, quod imaginatur, ex terrore subito propter insolitum de cælo fragorem Apostolis enatum, ut quasi attoniti, Jovisque, ut Poëta canit, ignibus icti, nec hiscere quidem auderent: illoque sub intuitu si Ignis descendentis Symbolum respexisset Lakemacherus, *Parte Observationum Sacrarum II. Observatione IV.*, linguas illas inficiari ausus non fuisset ipsa natura & substantia sua fuisse igneas, aut ignem verum sub humanarum linguarum specie Apostolorum capita circumvolitantem; sed sermones, ut ait ipse, igni similes, spirantesque animi affectum vehementi gaudio plenissimi, & immensa Dei beneficia celebrandi studio flagrantis incredibili: quales esse solent sermones hominum intimo divinæ gratiæ sensu affectorum. Edisseruisse nempe tunc Apostolos contendit grandia facinora in Populo Judaico quondam edita, nec minus Christi res numquam satis admirandas deprædicandasque: quarum in recitatione, cum justitiæ, potentiæ, bonitatisque divinæ consideratione conjuncta, animos ipsorum non potuisse non vehementer commoveri, quasique accendi, & sermones veluti æstuantes ardentesque gignere. Hæc, inquam, ille, quæ ignorari malim, quam me monente cognosci. Itane vero? Itane traducenda sacrorum Mysteriorum sanctissima majestas? Itane difficiliorum interpretatio locorum, quæ sacris in Literis occurrunt, ex dicendi modo enarrabitur Poëtæ alicujus, uti ex illis Maronis Æneidos II.

Exarsere ignes animo;

aut ex Tullio, Lib. III. de Oratore, testante Crassum, quasi quasdam

dam *verborum faces* admovisse? Sed satis cum Soleichtii, tum hoc etiam Lakemacheri commentum ab Alb. Menone Verpoortenio eversum legimus, qui Dissertationum Coburgi editarum tricesima, hocce equidem de argumento habita, fundamentorum, quibus allegati Scriptores nitebantur, ostensa levitate, sensum narrationis historicæ simplicissimum, evincit veritati esse prorsus consonum. Quam efficacius id præstitisset tamen, si igneas illas Linguas ad veteris Templi dona ab Elia restauranda retulisset, adque restitutionem ignis de cælo descendentis, Messiæ in adventu expectatam!

LXXXIX.

Nec Hierosolymis vero solum, & Pentecostes die, sed iterum, Ignis instar, super Credentibus Sanctum Spiritum descendisse novimus ex Actis Apostolorum: Ita siquidem Cap. XIX. *Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam Discipulos, dixitque ad eos: Si Spiritum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu, & cum imposuisset ipsis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Quot efficacia in rem nostram uno in testimonio argumenta! Interrogat Apostolus Discipulos Johannis, an recepissent Spiritum Sanctum? cui illi responderunt, neque si Spiritus Sanctus foret, se audivisse. Personæ Sancti Spiritus notitiam antiquissimis Judæis

non

non defuiſſe, egregie oſtendit Vir omni ſcientia ornatiſſimus Johannes Lamius, in elaboratiſſimis Libris ſuis de recta Chriſtianorum in eo quod Myſterium Divinæ Trinitatis adtinet ſententia; ſed & cum eodem Viro docto concedamus oportet, Servatoris ætate, Judæos, Spiritus Sancti nomine nonniſi munus Dei quoddam, cæleſtemque inluſtrationem intelligere conſueviſſe. Sane habitationem Paracliti Spiritus in cordibus hominum agnoviſſe illius temporis Circumciſos egregiis evincit teſtimoniis Schoettgenius, in Horis Hebraicis in Epiſto'am Apoſtoli ad Romanos. Rogaſſe igitur videtur Paullus de donis ejuſdem Sancti Spiritus, ſaltem, ut ajunt, extraordinariis. Verum, poſſibile ne eſt, Johannis Diſcipulos, qui Judæi profecto erant, ignorare potuiſſe, num dona darentur Divini Spiritus ſublimiora & ſpecialia, quibus aliquando præſtantiſſimam hominibus virtutem communicabat Deus? Num ignorare filii Judæorum poterant, ſanctiſſimos tot Vetere ſub Teſtamento Prophetas Spiritu fuiſſe Numinis afflatos? Minime ſane gentium. Illa igitur: 'Αλλ' οὐδ' εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐςιν, ἠκούσαμεν, ſignificent neceſſe eſt: *Sed neque ſi Salomonici Templi dona in Iſraële reſtituta ſint, audivimus; ſed neque ſi conſpicuo modo, ut olim, Dei dona Judaico reſtaurata fuerint in Populo, audivimus*. Reapſe Schoettgenius ita allegato in Opere ad hunc locum: *Intelliguntur hic dona miraculoſa Spiritus Sancti in primos Chriſtianos viſibili modo effuſa. In quo itaque* baptizati *eſtis*? rogat iterum Apoſtolus. Illi: *in Baptiſmate Johannis*. Tunc Paullus: *Num obliti eſtis eorum quæ Baptiſta dixit, dum miniſterium obibat ſuum? Nonne faſſus ipſe eſt, Baptiſmum, quem miniſtrabat, ducere modo ad pœnitentiam; extraordinaria vero & conſpicua Spiritus Sancti dona ab adventuro poſt ſe fore reſtauranda? Nonne ſpopondit Johannes, venien-*

nientem post se baptizaturum in Spiritu Sancto & igni; Crediturosque in ipsum recepturos vetera, quæ diu esse desierunt, dona? Pergite igitur baptizari in Jesu Christi nomine. Quod quum præstitissent Discipuli Johannis, conspicuo properavit modo Sanctus Spiritus, statimque diversis uti cœperunt linguis, & dono Prophetiæ.

X C.

Nec enim super baptizatis tantum, sed vel antequam sacro donarentur lavacro descendebat conspicuo etiam modo, ætate illa, super Credituris Sanctus Spiritus, in Symbolo videlicet, sive in Phænomeno aliquo, quod nudis conspiceretur oculis, saltem aliquando. Dum enim jussu Angeli accersisset Cornelius Centurio Petrum, ut Baptismate initiari posset; Apostolus cum prius, ceterosque qui cum Centurione erant, cupiebantque baptizari, Christiana in Disciplina instituendos ratus, plurima de Christo dicere pergebat. *Quum ecce*, ait Scriptor Actorum Apostol. Cap. X., *adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex Circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est; audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine Jesu Christi*. Bengelius in hunc locum: *Adhuc Petro loquente cecidit Spiritus Sanctus modo conspicuo. Alias Baptismus susceptus est ante adventum Spiritus Sancti. Sed hoc loco dubitari potuerat, an citra Circumcisionem forent baptizandi. Ideo statim super Auditores verbi cecidit. Liberum Gratia habet ordinem*. Non solo igitur sacro Pentecostes die, sed non semel adhuc, iterumque, primis illis Ecclesiæ temporibus, con-

spicuo

spicuo quodam modo acceperunt Credentes Spiritum Sanctum. Qui enim obstupescere potuissent fideles ex Circumcisione qui cum Petro venerant, quod descendisset super Gentilium aliquos Spiritus Sanctus, nisi conspicuum ejus aliquod vidissent signum atque Symbolum, aut aliquod Phænomenon, Sancti Spiritus indicium? Non aliqua utique de caussa obstupuerunt tunc Credentes ex Circumcisione, ut hunc ad locum animadvertit Schoettgenius, nisi quod opinarentur Judæi, extra Israëliticæ terræ fines habitare non posse שכינה *Schechinan*, adeoque super Gentiles adparere & descendere non posse. Mechilta fol. 1. 2. *Dixit Jonas: Eundum mihi est extra terram Israëliticam*, שאין השכינה נגלתה שם *ubi Schechina non revelatur*; super Gentes scilicet; nam ubicumque Israëlitarum filii erant, ibi quoque Schechinam super ipsos adparere potuisse statuunt, ut ibidem allegatis testimoniis ostendit idem Auctor. Non mirum autem, præjudicium hoc in hominibus Christianis, sive in Credentibus ex Circumcisione, superfuisse; quum & Petrus Apostolus initio de Gentium vocatione dubitaverit. Videtur igitur in lucida & candescenti nube, aut in simili aliquo meteoro, tunc super Cornelio & Sociis Sanctus descendisse Spiritus. Nonne Petrus ipse id satis innuere videtur, testatus tunc Spiritum Paraclitum descendisse, sicut in Apostolos descenderat? οἵτινες τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον καθὼς καὶ ἡμεῖς. Sane clarioribus explicat idem Petrus verbis, Actorum Capite quod sequitur, ubi Revelationem vindicaturus, qua Incircumcisis quoque in Ecclesiam inducendis donatus fuerat, Baptismumque ipsum Centurioni & ejus Sociis concessum; factum ante Fideles ex Circumcisione memorat his verbis; *Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus sum autem*

autem verbi Domini sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto . Vix digne satis explicari potest, quantum locus iste, & id de quo in præsentia agimus, & præcipuam Exegesim nostram *de Baptismate in Spiritu Sancto & Igni*, tueatur & confirmet. Testatur Petrus, Spiritum Sanctum in illos descendisse Viros, *sicuti super Apostolos in initio*, ὥσπερ καὶ ἐφ' ἡμᾶς ἐν ἀρχῇ. Conspicuo itaque descendit modo Spiritus Paraclitus super Centurione ceterisque qui nondum erant Baptismate initiati; descendit, inquam, dispertitarum instar linguarum ignis, aut columnæ instar igneæ sedentis super singulos eorum; Phænomeni instar ignei, nubisve aut flammulæ divinitus e cælo lapsæ ad consumenda Altaris holocausta. Tunc recordatum se Petrus testatur verborum Domini, *sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto* . Conferat, quæso, locum hunc diligenter Lector cum iis, quæ Lucas Capite habet Actor. I. *Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: Quia Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies* : quod evenisse denique ostendit igneis Linguis super Apostolos cælitus demissis. Vides utroque in loco ipsissima Baptistæ verba? vides, statim atque conspicuo restituendus erat modo Spiritus Sanctus, memorari cum a Christo, tum etiam ab Apostolis promissionem Prodromi, *Baptismatis* videlicet *in Spiritu Sancto & igni*? Vides restaurationem Symbolorum ejusmodi atque Emblematum egregie cum illa promissione convenientem? Ut igitur in igne, in lucis flamma, inque lingua lucis descendit Prophetiæ, Miraculorum, cælestisque Gratiæ donum super Apostolos die Pentecostes Hierosolymis; ita

Y simili

ſimili lucido candeſcentique in Phænomeno eadem conſequamur neceſſe eſt deſcendiſſe dona ſuper Cæſareæ Viros, quos initiaturus erat Petrus; in materia, inquam, lucida aut flammea, quæ *Gloriam Domini*, שכינה aut divinum ignem cælitus emiſſum, reſtitutum & reſtauratum in Iſraële repræſentaret.

XCI.

Haud neceſſe inpræſentiarum remur de frequentiſſimo dicere miraculorum uſu, priori Eccleſiæ orientis tempeſtate, deque communiſſimo tunc Prophetiæ dono, quod neminem vel leviſſime Sacris in Literis, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica exercitatum clam eſſe poteſt. Nobilius ſane Prophetiæ genus, quod a veteribus Hebræis appellatum vidimus רוח הקדש *Spiritum Sanctum*, & quo Divinus Spiritus non per obſcuras Viſiones, ſed integris ſenſibus afflabat Prophetas, in Scriptoribus ſacris Novi Teſtamenti fuiſſe reſtauratum quis auderet dubitare? Non minoris ſane auctoritatis & certitudinis futuri erant in nova Œconomia Scripta, quæ in Canonem relata ſunt, ac fuerant olim in veteri Hagiographa, quæ כתובים proprie & κατ' ἐξοχὴν Judæi appellabant, quum Deus eodem modo ſenſus utriſque Scriptoribus indiderit. Extraordinaria dona ſibi communicata pluribus in locis fatetur celebratque Sanctus Paullus, præſertim in Epiſtola ad Romanos XV. 19. ubi illa: *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti*. Et I. ad Corinthios XIV. 18.: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor*. Neque futurorum vaticinia, Apoſtolica in Eccleſia, defuere, quorum uberrima proſtant veteres apud Scriptores teſtimonia. Fuſe de Viſionibus, quibus priorum Chriſtiani temporum donati cælitus fuerunt, egit Henricus

cus Doduvellus, ad Epistolam VIII. Cypriani, in qua veterum Patrum, initio sumto ab Apostolicis ad Cyprianum usque, loca omnia, in quibus de vigescente agunt Prophetiæ apud Christianos dono, refert vindicatque; neque erudite & aucte minus Cl. noster Josephus Augustinus Orsius, *in Dissertatione Apologetica pro Sanctarum Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia, adversus Samuelem Basnagium*; IV. in Capite, de Visionum cælestium, per priora Ecclesiæ Secula, copia & ubertate differens, ostendit, illius temporis Prophetas, non minori quam Prophetas Judæorum fiducia, Propheticum usurpasse Spiritum. Apertissima sunt illa sane Justini Martyris in Dialogo cum Tryphone Judæo, ubi Joëlis illa explicans: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem &c.* ait: Καὶ παρ' ἡμῖν ἐστὶν ἰδεῖν καὶ θηλείας, καὶ ἄρσενας, χαρίσματα ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ ἔχοντας. *Atque apud nos videre est & mulieres, & viros, qui dona a Spiritu Dei habent*; suique temporis Prophetas in Ecclesia memorant Origenes, Cyprianus, Eusebius, & quod mirere, V. Seculo Theodoretus, in suis ad Joëlem Commentariis, ubi illa: *Permansit enim ad nos usque hoc donum, & sunt inter Sanctos, qui puram mentis aciem habentes, multa de futuris & prænoscunt, & prædicunt*; ἄχρις καὶ ἡμῶν τοῦτο διεφυλάχθη τὸ δῶρον . . . . ἔχοντες καθαρὸν τῆς διανοίας τὸ ὀπτικὸν, πολλὰ τῶν μελλόντων καὶ προγινώσκουσι καὶ προλέγουσιν; quibus utique complementum obtinuere suum non vetera modo Prophetarum Vaticinia, sed & seriores Magistrorum Traditiones; ita quippe Tachuma fol. 65. 3. & Bammidbar rabba sect. 15.: *Quum Moyses manum Josuæ imponeret, dixit Deus S. B.* בעולם הזה, *Temporibus Veteris Testamenti singuli tantum Prophetæ vaticinantur, sed* לעולם הבא *temporibus Messiæ omnes Israëlitæ erunt Prophetæ.*

phetæ. Quum vero, uti miraculorum, ita etiam Prophetiæ donum, Judaica phrasi, appellaretur *Spiritus Sanctus*, רוח קודשא Seldeno id docente, Libro de Synedriis veterum Hebræorum II. Cap. 4. ubi verba adfert Maimonidis sextuplam docentis notionem nominis רוח קודשא, inter quæ illa: *Spiritus Sanctus nomen est itidem influentiæ intellectualis Divinæ, quæ influit in Prophetas, quando prophetant*; והוא גם כן השפע השכלי האלהי אשר ישפיע על הנביאים; quumque Prophetiæ donum, unum ex iis esset, quibus in adventu Messiæ, opinione Judæorum, iterum gavisuri ipsi erant; jure inde ac merito, Baptisma illud quod spondebat Johannes, verbis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, ad hanc referendum duximus Prophetiæ doni ubertatem & frequentiam, qua primis temporibus, in Judæorum ædificationem, Ecclesia Christi consecrata est; quare consequeremur tandem, dona prioris Templi ab Elia restauranda, ut Circumcisi opinabantur, sed sublimiore modo a Christo restituta, vere præcipua fuisse ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, ut verbis utar Lucæ, Cap. I. Act. Apostol., *præcipua*, inquam, *inter determinata illa*, *visa*, *auditaque*, *signa*, quibus, pro receptis Traditionibus, virtutem, dignitatem, potestatemque Servatoris sibi sat ostensam Recutiti dignoscere debebant. Hoc utique ante nos argumento usus videtur Apostolus Petrus Epistola sua prima Cap. I. 11. scribens: *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians illas in Christum Passiones, & post hæc Glorias*; προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. Alludi hoc in testimonio ad verba אחר כבוד Zachariæ II. 8, ostendit Georgius Ludovicus Œderus, Animadversionum Sacrarum XXXII., ad adparitiones scilicet Gloriæ Domini, quas pro scitis Oraculorum ho-

honestare oportebat præsentiam Messiæ; quas rursus portendit Præco Christi; quas denique respiciens Petrus, signa Messiæ esse debere ait, & divinæ Legationis ejus, præsertim apud primos Credentes ex Circumcisione, certissima indicia.

XCII.

Allegatum Prophetiæ donum, in priore Christi adventu, eo restitutum modo quo illud portenderant Sacri Vates, negasse jam vidimus Burnetium; quod videlicet dum advenit Sanctus Spiritus Sacro Pentecostes die, quo Apostoli prophetarunt; quorumque ad propheticum tunc officium retulit S. Petrus Joëlis verba; ignea illa tamen, terribilia, & universim grassantia portenta non evenerint, quæ ad secundum referenda modo ait Christi adventum, cum veniet in flammis ignis ad consumendos omnes improbos. Relatis igitur Joëlis verbis, *effundam Spiritum meum super omnem carnem &c.*, audienda ait Burnetius quæ sequuntur apud Prophetam: *Edam ostenta in cælis, & in terra, sanguinem & ignem, & elationes fumi. Sol ipse vertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Jhovæ magnus & reverendus*. Hæc non evenisse ad effusionem Spiritus Sancti in Apostolos neminem adfirmaturum censet Anglus Scriptor: itaque significari hic consequitur signa eversionis & conflagrationis omnium; signa, inquam, de quibus Christus apud Lucam Cap. XXI.: *Et erunt signa in Sole & Luna & Stellis, & in Terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum; nam virtutes cælorum commovebuntur: & tunc videbunt Filium hominis &c.* Illud igitur ad tempus differendam restitutionem doni Prophetiæ, futuramque ad restaurationem Judæorum, integrum & perfectum retrahendum ejusdem Prophetiæ complementum.

XCIII.

Verum, ut fallitur Burnetius, quod ad diem modo Pentecostes propheticum Apostolorum munus restringere quodam pacto videatur; aut effusionis Sancti Spiritus illo tantum die factæ rationem veluti habuisse; accedit illud quoque, Joëlis quæ sequuntur verba, quæ ipse ad signa refert conflagrationis & finis Mundi, non denotasse nisi signa Hierosolymorum incendii & excidii, adeoque & signa finis Reipublicæ Judæorum; quod late ostendere & explicare nobis videntur Hammondus atque Clericus verba Christi enarrantes, quibus utitur Burnetius opinioni suæ confirmandæ. Quamvis enim pæne omnes eo in loco universalis Judicii signa manifestata a Christo fuisse haud dubitare videantur; si series orationis tamen & contextus, ea quæ antecedunt & consequuntur; si rerum historia, dicendique ratio serius perpendantur, statuendum profecto consequemur, loquutum tum Servatorem fuisse de Populi Hebræorum excidio, deque Hierosolymitana clade, quæ tamen umbra, figura, & adumbratio Judicii erat ultimi, & finis Universi.

XCIV.

Reapse Orationis, quam refert Evangelista, seriem & scopum in examen revocare placet. Quibusdam nempe dicentibus de Hierosolymitano Templo, quod pretiosis lapidibus ac donis ornatum esset, respondit Christus: *Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis supra lapidem, qui non destruatur*. Ad quæ illi: *Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum, cum fieri incipient?* Aut, uti Matth. Cap. XXIV. scribit: *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui?* manifestationis nempe iræ tuæ in impios Judæos? Quando erit hæc Templi destructio,

Rei.

Reipublicæque adeo Judaicæ everſio? & quibuſnam ſignis eaſdem imminere cognoſci poterit? Tunc ſigna manifeſtat Chriſtus; inter quæ illa: *Cum audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri: oportet enim hæc primùm fieri, ſed nondum ſtatim finis. Exurget gens contra gentem, & terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ & fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt...* paucíſque interjectis: *& erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, preſſura Gentium &c.* Non igitur de Mundi fine, deque Judicii ſignis tunc loquebatur Chriſtus, ſed de ſignis proximi futuri excidii Hieroſolymorum.

XCV.

Signa reapſe in Sole & Luna & Stellis, antequam vaſtarentur Hieroſolymæ, refert Flavius, Libro de Excidio Urbis illius VI. Cap. 31., gladium nempe igneum, qui per totum annum Jeroſolymæ imminuit; Cometem, qui anteceſſit rebellionem, magnum lumen media nocte circa Templum & Altare refulgens, alia etiam portenta, quæ Tacitus memorat, Libro Hiſtoriarum V., ubi de Bello Hieroſolymitano. Quamvis enim, ut hic animadvertit Clericus, in Additamentis ad Hammondum, Hiſtoria Regnorum Claudii & Imperatorum proxime ſequentium nos non doceat in Judæa terræmotus tunc contigiſſe; plures tamen memorat in Inſula maris Ægei, & in Aſia, quæ Judæi quaquaverſum per Imperium Romanum ſparſi ignorare non poterant. *Videte ne quis vos ſeducat*, ea numerando ſigna dixerat etiam Chriſtus; *multi enim venient in nomine meo dicentes: ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent*. Quam belle vero verba illa & hiſtorice quidem, de ſignis Hieroſolymorum cladem præcedentibus enarrat Auctor Operis imperfecti in Matthæum, qui Chryſoſtomi Operibus ſuffixus eſt, dum ſcribit:

Hoc

Hoc est Apostolus dixit his, qui fuerunt antequam caperetur Hierusalem, quia prius venturi erant Pseudochristi. Etenim hoc erat signum primum destructionis Hierusalem, quod vere factum est. Venerunt enim Dositheus, & Simon, & Cleonius, & Varisoas in nomine Christi, & alii multi, quos Apostolus in Epistolis suis tangit. Audietis prælia & opiniones præliorum. *Tunc quidem corporaliter ea dicebat prælia audienda, quæ contra Judæam præparabat Imperator Romanus. Nam sicut solet fieri in præparatione belli, dum eliguntur Principes, dum deputatur & congregatur exercitus, auditio currit, maxime ad eos, adversus quos præparatur. Sed postquam ingressus est Exercitus Judæam, sicut exponit Josephus, non statim ad Hierusalem appropiavit, sed ad Civitates singulas Regionis illius, & diversa prius gesta sunt bella, & plurimæ Civitates captæ, & sic novissime Hierusalem obsedit Exercitus ..... in illis tunc auditionibus præliorum non fuit finis Gentis Judeæ, sed postea & Hierusalem debellata est, & Judæi quidam in gladio perierunt, quidam a Bestiis interempti, quidam venditi sunt, quidam per singulas Gentes dispersi &c.* Hucusque vetus ille Auctor, qui plurima subjicit de signis illis, de quibus loquebatur tunc Christus, ut videlicet ostendere magis pergat, & literaliter accepta non fuisse finis Mundi indicia, sed indicia potius finis Reipublicæ Hebræorum, signa extremi Hierosolymorum & Gentis Judaicæ excidii.

XCVI.

Jam vero id magis statuemus, si phrasim consideramus, & Propheticam dicendi rationem. Videtur tunc nempe loquutus Christus more Prophetarum apud Judæos, qui in prædictionibus cladium, & vastationum Regionum aliquarum, terrificos describebant motus in cælo, mari, & terra, & terrores populorum, quasi

quasi omnia mox essent peritura; quum ostendere solum tamen vellent fore magnam alicubi mutationem. Sic, ut in Adnotatis Hammondi & Clerici animadversum est, latissimeque Johannes Spencerus evincit in Dissertatione de Prodigiis, Babyloniorum vastationem a Medis prædicens Isaïas, cetera inter, hæc etiam minabatur, Cap. XIII. 10.: *Quoniam Stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo... Super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco suo... Suscitabo super eos Medos &c.* Quæ profecto ad literam non evenisse novimus, uti in belli illius Historia patet apud Xenophontem. Idem Propheta Idumeæ contritionem, & perpetuam ominatus vastitatem, inquit Cap. XXXIV. 8.: *Quia dies ultionis Domini, annus retributionum Judicii Sion. Et convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem. Nocte & die non exstinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus*. Ezechiel victoriam portendens, quam Ægypti de Rege relaturus erat Rex Babylonis, & cladem illam describens, *& operiam*, inquit Cap. XXXII. 7., *cum destructus fueris, cælum, & nigrescere faciam Stellas ejus; Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam*. Erat hic igitur proprius Orientalibus loquendi modus, Propheticæ erant hæ phrases; quibus usus iccirco Servator, dum de signis in Sole & Luna, & mari dicens, futuram comminatus est, more Prophetarum, magnam & terribilem Judæorum & Hierosolymorum eversionem & cladem...

XCVII.

Sed & ita Veteres comparati videbantur, ut Bella & oppugna-

gnationes Urbium excidiaque populorum a signis cælestibus ceterisque naturæ portentis ostendi concitarique arbitrarentur. Sic Tullius, Libro de Divinatione I. *Nam*, inquit, *& cum duo visi Soles essent, & cum tres Lunæ, & cum faces, & cum Sol nocte visus esset, & cum e cælo fremitus auditus, & cum cælum discessisse visum est, atque in eo animadversi globi: delata etiam ad Senatum labes agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaque maximis terræ motibus conquassata esset; quibus portentis magna Populo Romano bella perniciosæque seditiones denuntiabantur; inque his omnibus responsa Haruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant*. Et paullo ante scripserat: *Magnum illud etiam, quod addidit Cælius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum fieret prælium, tantos terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribusque Insulis, totaque in Italia factos esse, ut multa Oppida corruerint, multis locis labes factæ sint, terræque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint: atque in amnes mare influxerit*. Quæ quidem omnia imaginationis vi potius & pavori popularium ortum debere suum, quam veritati quis ignorat? Ex ea tamen portenta ejusmodi, bellorum tempore, præconcipiendi ratione & consuetudine, adjecta emphatica Orientalium phrasi, & pessima Judæorum æmulatione, qui quidquid superstitiosum apud Gentes erat adoptare soliti fuerant olim, sed præsertim extremis Reipublicæ temporibus; hinc per ostentorum ejusmodi congeriem bella, quæ pati eos oportebat, ominabantur adflati etiam divinitus Prophetæ, qui eo majora in cælo & Stellis futura prænunciabant signa, quo inclementius futurum erat Bellum; uti revera fuit Hierosolymitanum, quod adventum Messiæ sequutum est; quum ejus vi non Urbs modo capta, Templumque incensum fue-

tit,

rit, sed, universa Judæa excidione deleta, universus Judæorum Populus iram Victoris passus, aut internecioni datus, aut in solitudines distractus, aut captivus, maximum evaserit vindictæ Divinæ monumentum.

XCVIII.

Tametsi igitur post verba illa Joëlis, *effundam Spiritum meum super omnem carnem &c.*, audiamus, ut nobis auctor est Burnetius, verba quæ sequuntur, *edam ostenta in cælis & in terra &c.* abest adeo ut Prophetam non respexisse ad restitutionem doni Prophetiæ in primo adventu Christi consequamur, ut ex illo potius nexu validum in rem nostram eruamus argumentum. In Joëlis siquidem Oraculo omnia videntur prænunciata, quæ in priore illo adventu evenisse legimus, sive Credentibus bona & prospera, sive inauspicata & mala non credentibus Judæis; adparitura nempe Phænomena sacra ante & post Servatoris Ascensionem in cælum; & prodigia, quæ futura erant vastationis Hierosolymorum signa, aut ipsum potius, Prophetica phrasi, Prophetico dicendi more, Bellum & excidium; de quo certe loquitur apertissime eodem Capite II., hisque utitur, hostium crudelitatem suorum Judæis denuncians, verbis: *Urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent . . . . a facie eorum contremuit terra, moti sunt cæli, Sol & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum. Quæ dicta*, inquit in Commentario ad hunc locum S. Hieronymus, *hyperbolice sentiamus; non quod hostium tanta sit vis, ut possint movere cælos & terram concutere: sed quod adversa patientibus, præ terroris magnitudine, & cælum ruere, & terra fluctuare videatur.* Sic Plautus in Amphitrione, Act. V. Sc. 1., Actorem stupore captum ita inducit loquentem:

Ita mihi videntur omnia , mare , terra , cælum consequi ,
Jam ut opprimar , ut enecer ;

Et Virgilius , Georg. III. de Insecto quodam loquens , quod in Lucania est , latine *Asilum* , græce οἶστρον appellatum , quod miseris modis armenta vexare solebat ,

Quo tota , inquit , *exterrita sylvis*
Diffugiunt armenta : furit mugitibus æther
Concussus , Sylvæque & sicci ripa Tanagri .

Quum ex phrasi igitur Joëlis consequi oporteat , ipsum tunc de Hierosolymorum excidio loquutum , iccirco de rebus quæ magnam illam rerum in Ecclesia inque Republica Judæorum mutationem respiciebant ; ut completum Vaticinium credimus in bello , vastatione , & clade, quæ Christi mortem consequuta sunt ; ita & in dono Prophetiæ ætate illa restituto perfectum videntur nacta complementum quæ de effusione portendit Spiritus Sancti in credentes Judæos Ethnicosque ; quare ad futuram adhuc aliquam Judæorum Restaurationem , ad millene , quod Burnetius imaginatur , Christi in terris Regnum , ad tempora conflagrationem orbis sequutura , effusionem protrahamus illam operæ pretium non est .

XCIX.

Ut vero Christiana Doctrina atque Disciplina, ut ajebat Paullus I. ad Corinthios II. 4. οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις , ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως , *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis , sed in ostensione Spiritus & virtutis* probari Gentilibus Sanctum in fœdus cooptatis debebat ; heinc Prophetiæ , Linguarum , & Miraculorum dona in Ecclesia diutius perseverare oportebat , quam cetera , & quæ ad Phænomena pertinebant , in adventu Messiæ paucis Credentibus ex Circumcisione restituta ;

quæ ,

quæ, ceu ad Judæorum modo Traditiones relata & compoſita, oſtendi tantum terris, & qualicumque compleri modo opus erat. Origenes, medio tertio Seculo, Libro contra Celſum I. ubi ſtatuit miraculis probari veritatem Evangelii, ſubjicit, eam adhuc potuiſſe demonſtrari, *cum multis aliis, tum ex eo quod veſtigia quædam Sancti Spiritus ſupereſſent apud eos, qui ſecundum Dei voluntatem viverent*; ἐκ πολλῶν μὲν ἄλλων καὶ ἐκ τοῦ ἴχνη δὲ αὐτῶν ἔτι σώζεσθαι παρὰ τοῖς κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγου βιοῦσι. Libro vero VII. ſic ait: σημεῖα δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατ' ἀρχὰς μὲν τῆς Ἰησοῦ διδασκαλίας, μετὰ δὲ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ πλείονα ἐδείκνυτο, ὕστερον δὲ ἐλαττονα, πλὴν καὶ νῦν ἔτι ἴχνη ἐστὶν αὐτοῦ παρ' ὀλίγοις ταῖς ψυχὰς τῷ λόγῳ καὶ ταῖς κατ' αὐτὸν πράξεσι κεκαθαρμένοις: *ſigna vero Spiritus Sancti initio quidem Jeſu prædicationis, & poſt ejus Adſcenſionem plura oſtenſa ſunt; verum tamen nunc quoque ejus ſunt veſtigia, apud paucos; quorum animi ſunt verbo, & actionibus ei convenientibus purgati*. Veſtigia vero quæ eſſent memorat Libro I. ſcribens: *Etiamnum veſtigia Sancti Spiritus apud Chriſtianos ſuperſunt. Excantant Dæmonas, multas curationes perficiunt, & vident quædam ſecundum voluntatem Verbi, de futuris*. καὶ ἔτι ἴχνη τοῦ ἁγίου ἐκείνου πνεύματος · · · · · παρὰ Χριστιανοῖς σώζεται· ἐξεπᾴδουσι δαίμονας, καὶ πολλὰς ἰάσεις ἐπιτελοῦσι, καὶ ὁρῶσί τινα κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγου περὶ μελλόντων. Veſtigia Sancti Spiritus ea appellat miracula Origenes, quia abſque Meteoris ac Phænomenis, & inconſpicuo operabantur modo. Fuere nonnulli quidem, qui aliquid prioribus Chariſmatibus non abſimile Apoſtolicis etiam Viris conſpectum ſuſpicati ſunt, ex narratione quæ apud Clementem Alexandrinum, in Libro *Quis dives ſalvetur*, de Johanne proſtat, poſt mortem Domitiani e Pathmo Inſula Epheſum reverſo. *Quum enim*, inquit, *poſt*

post Tyranni obitum e Pathmo Insula Ephesum rediisset, vicinas quoque Gentes rogatus evisebat; partim quidem ut Episcopos constitueret; partim vero ut integras Ecclesias disponeret ac formaret; partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in Clerum cooptaret; ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσων ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων. Quæ verba, uti narrationem, exscripsit Eusebius, Libro III. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 23., conveniuntque cum iis quæ Clemens Romanus habet, Epist. Cap. XLII.: *per regiones & urbes prædicantes constituebant primitias suas quas Spiritu probaverant, Episcopos & Diaconos crediturorum*; κατὰ χώρας ἓν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίσταναν τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Verum, ut egregie ostendit Cl. Combefisius noster in Notis ad allegatum Clementis Alexandrini Librum, non nova aliqua & distincta revelatione designavit tunc Spiritus Sánctus in Clerum cooptandos, non aliquibus meteoris, aut conspicuo signo, quasi esset αὐτῷ σημαινομένων in Textu, ut aliqui enarrare perrexerunt; sed divina potius prædestinatione designatos fuisse a Sancto Spiritu intelligendum est; aut ejusdem Spiritus gratiam denotatam beneficio Sacri Ordinis recipiendam. Ea igitur quæ nudis conspiciebantur oculis, dum inter mortales versaretur Christus, peracto celebri Conscensu ejus in cælum, majori Judæorum parte aut Hierosolymitano deleta bello, aut in perduellione adversus Christum perseverante; ea, inquam, nonnisi Visionibus quibusdam, aut in somnis denique conspecta, uti Johanni contigit in Apocalypsi; aut evanuere prorsus, uti ratio postulabat; quum Umbræ veritati, sublimiorique & puriori Novi Fœderis œconomiæ, Judæorum veteres imagines cedere deberent. *Sensibilia illa* sane *Spiritus Sancti dona*, data

data *ad commendationem rudis Fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda*, ait S. Augustinus Libro III. de Baptismo Cap. 16., & Expositione Epistolæ I. Johannis, Tract. VI. *Signa* vocat *tempori opportuna*. Seris etiam, fateor, temporibus, Græci, semper mentiri nati, Divinum ignem Populo persuaserunt, Sabbato Sancto cælitus descendentem, quo Lampades & Lumina accenderentur antecedente exstincta die, quo scilicet ablatus dicebatur Sponsus. Ea de re, verius de arte illa, qua Populo illudebatur, Liturgici Schismaticorum Orientalium Libri fidem faciunt, uti apud Goarum nostrum videre est in Euchologio Græcorum, & apud Morinum in Rituali Syrorum Maronitarum; quin & sequioris ætatis Scriptores nonnulli ab Allatio editi, effictum memorare non erubuerunt miraculum, quod ad Francorum usque gesta & bella & imperium perseverasse diceres, fallacissimis si mortalium credendum esset; sique ejusmodi prodigia adultam ad Ecclesiam spectare posuissent; quum tamen non fuerint, aut esse non potuerint, nisi præludia quædam veritatis, Judæorum Genti suavius in novam œconomiam inducendæ apta, ceu quæ cum prodigiis convenirent Templi Salomonis, quæ, pro Magistrorum interpretatione, fulgescere & ostentari iterum oportebat diebus Messiæ, & Israëlis Regno, ut ipsi dicebant, restituto.

C.

Lucida sane Phænomena, virtutibus Sanctorum suorum ostendendis, Deum aliquando vel sequioribus concessisse Seculis in præsentia non negabimus. Sulpicius Severus, in Epistola ad Aurelium Diaconum, de Adparitione loquens Beati Martini, eum non modo videre sibi visum ait *prætextum toga candida, vultu igneo, stellantibus oculis, crine purpureo*; sed Dialogo II. hæc quoque

tra-

tradidit : *Cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit . Quo quidem die (mira dicturus sum) cum jam Altarium , sicut est solenne benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita ut in sublime contendens , longum admodum crinem flamma produceret . Hoc , licet celeberrimo factum die , in magna Populi multitudine viderimus , una tantum de Virginibus, & unus de Presbyteris , tres tantum videre de Monachis : ceteri cur non viderint , non potest nostri esse judicii .* Quæ ad verba adnotat Vir Cl. Hieronymus de Prato , Severum hoc loco imitatum videri Virgilium Æneidos V.

cælo ceu sæpe refixa
Transcurrunt , crinemque volantia Sidera ducunt ;

aut Valerium Flaccum , Lib. V.

Protulit ut crinem densis luctatus in extis
Ignis , & adscendit salientia viscera tauri .

Factum autem confirmari animadvertit a Paullino , cujus ea sunt verba :

Effulsit rutilans claro de vertice flamma
Splendorem capiti infundens , innoxia crini ,
Perspicuo sursum porrecta , atque edita tractu ,
Ignifero liquidum perrumpens aëra sulco .

Fortunatus etiam , Elegia quæ inscribitur : In Basilicam S. Martini ubi pauperem vestivit :

Namque viri sacro de vertice flamma refulsit ,
Ignis & innocui surgit ad astra globus .

Et alia Elegia in Basilicam Turonensem , quæ per Gregorium Turonensem renovata est :

San-

Sanctus idem Domini almum cum benediceret Altar,
De capite est visus flammeus ire globus.

Hunc præterea locum illustrat Gregorius Turonensis, Libro de Gloria Confessorum Cap. 20., ubi hæc habet: *Narrare non piget, qualiter se virtus B. Martini revelatione revelarit, ita ut adpareret multis ignitus globus ille terribilis, qui quondam Solemnia celebranti emerserat, paucis visibilis, a capitis arce prorumpens.* Mox sequitur: *Discurrebat autem per totam cellulam tamquam fulgur . . . . Tum ego, nolite, inquam, timere; virtus enim est Sanctorum quam cernitis; & præsertim rememoramini Librum B. Martini, & recolite qualiter verba sacra promenti de capite globus ignis egressus usque ad cælos visus est conscendisse . . . . Illud anterius miraculum* (nimirum a Severo scriptum) *visum est paucis; istud adparuit populis universis: in illo fuit virtutis indicium, in isto gratiæ supplementum.* Alibi Gregorius hujusce miraculi meminit, ut eodem Libro Cap. XXXIX. dum scripsit: *Beati quoque Martini prorumpens* (ignis) *e capitis vertice, cælorum ardua penetravit.* Quibus equidem si qua danda esset fides, quod suadere videtur allegatus Interpres doctissimus Hieronymus de Prato, in elaboratissima Præfatione sua ad Sulpicium Severum, in qua signorum illorum non repugnantiam adversus cogitata Clerici vindicare satagit; inde consequi non nemo fortasse pergeret, non ad solam Apostolicam Ecclesiam restringenda videri meteora lucida Divinum favorem ostendentia; quin erui adhuc posset tamen, posteriora ejusmodi cum Phænomenis Apostolicorum temporum esse confundenda. Sulpiciana siquidem hæc; & alia hujus generis, quæ circumferuntur, Symbola, quum Judæis in Ecclesiam inducendis data non essent; quumque ætati Messiæ non responderent; neque

ab Ethnicis expectarentur, aut sperarentur a Credentibus, qui Messiæ adventum consequuti sunt; tametsi eamdem prope haberent, quam veteris Templi meteora præseferebant, speciem; restauratorum adhuc tamen donorum rationem habere nullo pacto possent; uti ejusmodi revera erant, esseque oportebat, & a Credentibus ex Circumcisione habita fuerunt, ignea Charismata, quæ Christi Legationem illustrarunt. Hæc vero Phænomena mirum quam aperte & evidenter Christianæ veritatem Religionis confirmare videantur! Quum enim de prodigiis, quæ memorant Acta Sanctorum, nonnulli dubitare se posse jure credant; de iis tamen, de quibus nunc agimus, longe secus est. Si enim priscorum portenta Romanorum ex eorum fide, qui ea se expertos tradiderant, tueri se probe rebatur Tullius, dum Libro de Divinatione I. scriberet: *Neque enim, in pastoribus illis, quibus Romulus præfuit, nec in ipso Romulo hæc calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis Religionis simulacra fingerent*. Quanto potiore jure de Phænomenis memoratis ab Evangelistis nos id adserere valemus? præsertim quum non Phænomena utcumque, Legationi Christi illustrandæ, visa sint; sed quæ potius jamdiu erant expectata & volita, jamdiu sacris a Vatibus promissa.

C I.

Hisce jam tandem animadversis, neminem remur dubitaturum, nos Prodromi scopum, mentemque assequutos esse, non verborum modo atque emphaseos habita ratione, sed præsertim ratione opinionum habita, quæ tum apud Pharisæos, quibuscum Johannes loquebatur, obtinebant; habita denique ratione Judaicarum Traditionum, quarum ad normam, characteres, signa, & indicia eorum, quæ in Messiæ adventu Judaico eventura erant Populo, sibi præformaverant Circumcisi. CA-

CAPUT XIV.

An Baptismus Spiritus distinguendus sit a Baptismate ignis. Origenis sententia, de qua Huetius & alii. Quid Keuchenius senserit de Oraculo Baptistæ. An illud de postremo Hierosolymorum Excidio intelligendum? Quomodo Exegesis illa cum hypothesi nostra componi possit. Ut Elias non auspicati modo, sed ultoris etiam devocator fuit ignis, ita & Christus. Impervius Marci locus Cap. IX. 49. fuse explicatur. Scaliger a Wernsfelsio correctus. Origenes iterum allegatus. Nonnulli animadvertuntur hebraici & hellenistici dicendi modi. Auctoris Ecclesiastici, Epistolæ Canonicæ Jacobi, Augustini, aliorum producta in rem nostram testimonia.

CII.

COnvenisse Exegesim nostram cum eorum sententia qui Baptismum in Spiritû Sancto & igni ad Phænomena Sacro Pentecostes die super Apostolos adparentia retulerunt, noscere quisque potuerit per se; esto opinionem illam suo e fonte minus derivaverint Auctores ejus; nil cogitaverint videlicet de veteribus donis in Israële restaurandis; neque Linguas igneas unum ex illis charismatibus fuisse animadverterint. Reliquum nunc est, ut nitide ostendamus, cum nostra optime coire interpretatione hypothesim eorum, qui Hierosolymitanum Bellum, Excidiumque Judæorum videre sibi visi sunt in Oraculo Baptistæ; nam

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta;

 neque

neque enim omnia doctiorum cogitata propugnare in animo umquam nobis fuit; sed quæ cum veritate non pugnant illustrare potius, & enarrare; quod in argumento quo de agimus fieri sane potest, si allegata Interpretatio cum præconceptis Judæorum Traditionibus concilietur tamen, cum Exegesi conferatur nostra; & ad eam saniore consilio reducatur.

CIII.

Fuerunt olim, suntque in præsentia, qui Baptismum *Spiritus*, & Baptismum *Ignis* sic distinguunt, ut per illum collatio veniat donorum & gratiæ, quibus ex abundantia bonitatis Christi potissimum locupletentur electi & fideles: per hunc vero demonstratio Divinæ iræ in Judæos rebelles & refractarios intelligenda sit. Nimirum duûm generum Auditores Johannis præconcipiunt qui in ea versantur opinione; alios dicto obedientes ac morigeros; pervivaces alios, & incredulos. Utrisque igitur consequuntur Baptisma eum prædicere singulis conveniens: illis Baptismum gratiæ atque Spiritus, his Baptismum iræ & ignis. Huic differendi rationi ansam dedisse remur Origenis verba Homilia in Jeremiam II. scribentis: Διὰ τῶτο ὁ Ἰησῦς βαπτίζει, τάχα καθὼ εὑρίσκω τὸ λόγον, ἐν πνεύματι ἁγίῳ· τὸν δὲ μετὰ τὸ πιστεῦσαι, μετὰ τὸ ἀξιωθῆναι ἁγίου πνεύματος, πάλιν ἡμαρτηκότα, λούει ἐν πυρί· μακάριος ἐστιν ὁ βαπτιζόμενος ἐν ἁγίῳ πνεύματι, καὶ μὴ δεόμενος βαπτίσματος τοῦ ἀπὸ πυρός. *Propterea & Jesus baptizat Spiritu Sancto & igne: non quia eumdem in Spiritu Sancto atque igne baptizet; sed quo Sanctus baptizetur Spiritu Sancto; & is qui post Fidem & Magisterium Dei rursum ad scelera conversus est, cruciatu purgetur incendii. Beatus qui lavacrum accepit Spiritus Sancti, & ignis lavacro non indiget.* Quæ vero præcedunt & sequuntur apud Evangelistam pronunciata a Præcursore

verba

verba Hierofolymitano interpretatur de incendio Adamantius, Homilia XVIII. in eumdem Prophetam, quamvis ex Huetii Origenianis animadverfum recentiffimo Origenis Editori, oppofuum eumdem docuiffe Homilia XXIV. in Lucam; eos nimirum dumtaxat igneo flumine a Chrifto baptizatum iri, qui aqua & Spiritu Sancto fuerint baptizati, & purgatione opus habuerint: Homilia vero IV. in Exodum, Homilia XXV. in Numeros, & Homilia III. in Pfalmum XXXVI. unumquemque igne purgandum pronunciaffe; quod indicium eft, non fat certam conftantemque Origeni fuiffe ioci illius intelligentiam; vel Interpolatorum affumentum priorem Exegefim habendam: ea præcipue de cauffa, quod allegatas in Jeremiam Homilias (quas nonnulli Cyrillo Alexandrino olim afferebant) ex tempore fudiffet Adamantius, & poft fexagefimum tandem annum excipi a Notariis permififfet, fi poft Huetium laudato Editori fides. Ut ut de mente fuerit Origenis, fufe inter Recentiores Interpretationem, qua de agimus, illuftravit propugnavitque Petrus Keuchenius Parte I. Adnotationum in Novum Teftamentum.

C I V.

Hierofolymitano etiam de Bello, & de poftrema, quæ evênit, Judæorum clade, illa *& igni* interpretatus eft Clericus in Additamentis fuis ad Hammondum, ceu dicere Johannes voluiffet: *Ipfe, qui poft me venturus eft, primum quidem Sanctum mittet Spiritum, cujus donis & efficaciffima gratiæ fuæ vi mundabit Credituros; dein eos, qui increduli permanebunt, igne premet, bellico videlicet incendio, extremoque Patriæ & Populi excidio*. Verifimilitudinem autem huic Exegefi Defenfores ejus conciliarunt, quo *ignis, incendiique* nomine fæpenumero utantur veteres præfertim

Scri-

Scriptores bello denotando; quum & Victores veteri bellandi ratione consumere solerent, delere & incendere urbes igni. Heinc phrases illæ veterum Scriptorum, apud Budæum in Commentario Linguæ Græcæ pag. 749. Πυρπολεῖν *igne vastare*. Plutarchus: Ἐπαμινώνδας ἠνάγκασε τοὺς Θηβαίους πυρπολῆσαι τὴν Λακωνικὴν, πεντακοσίοις ἐνιαυτοῖς ἀδῄωτον οὖσαν. Herodotus: Πυρπολέεσθαι τὴν Ἀττικὴν τοὺς βαρβάρους. Phalar: Ἀντὶ μὲν ἀνδρῶν τριάκοντα ὧν ἀσεβῶς κατεπυρπολήσατε, πεντακοσίους ὁπλίτας ἀπολωλεκότες. Sane dubitandum non est, ignem in Scripturis iram Dei, excidiumque Judaicæ Nationis ob spretum Evangelium frequentissime significare: afflictiones etiam *Baptismatis* nomine venire phrasi saltem Hellenistica: ipsum denique Johannem, post promissum Baptisma in Spiritu Sancto & igni, orationem suam ita prosequi & claudere: *Cujus ventilabrum in manu sua, & perpurgabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Respondisse igitur eventum animadvertunt; uti enim Credentes Spiritus sui donis liberalissime ditavit Christus, ita Rebelles æstu iræ suæ, & Urbis Templique flammis implicitos, severitate justissima delevit. Quare, quum Messiæ adventum sequuta fuerint civilia inter Judæos bella, & hostile demum a Romanis gestum, quo, ut Xiphilinus adnotat Epitom. Dion. in Tito: ὁ δὲ Τίτος τὸν πρὸς Ἰουδαίους πόλεμον ἐπιτεταχθεὶς τὰ Ἱεροσόλυμα εἷλε, καὶ τὸν ναὸν ἐνέπρησε, *Titus Judaico bello præfectus Hierosolyma cepit, & Templum cremavit*; adsentiente Flavio, Libro de Bello Judaico VII. Cap. 26. ὁ μὲν οὖν ναὸς οὕτως ἄκοντος Καίσαρος ἐμπίπραται. *Sic igitur Templum invito Cæsare incenditur*; inferunt Scriptores allegati, verbis *& igni* minatum fuisse Johannem, adventurum post se Messiam ultorem adversus im-

impios, qui recepturi non essent veram Legem, deleturumque incendio & face belli Populum non credentem.

C V.

Historica & consona videtur prima fronte hujusmodi interpretatio, quam, ut innuebamus, ad nostram reduci posse remur, cum ea componi, nostram imo hypothesim confirmare vehementer, si illam tamen non ex allegatis a Keuchenio momentis, sed native e fonte derivemus. Et sane, extremam Judæorum eversionem manifestissimum futuram fuisse olim adventus Messiæ signum, evincunt Oracula Jacobi, & Danielis; auferendum erat siquidem de Tribu Judæ sceptrum adveniente Schilo, & post hebdomadas præfinitas dissipandum erat Sanctuarium, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Hæc igitur omnia respexisse Prodromum libentissime fatemur, dum minabatur, venturum eum post se, cujus ventilabrum erat in manu sua; eumque congregaturum triticum suum in horreum, paleasque combusturum igni inexstinguibili. Verum eam ipsam Hierosolymorum eversionem verbis significatam fuisse, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, jure videtur dubitandum; ut enim recte animadvertebat in Dissertatione de hoc argumento Marckius, plura sane obstant, quo minus ea phrasi vindictam adversus Judæos, & Urbis cladem denotatam cogitare debeamus. Hoc utique ante omnia, quod ipso de Messia agatur, tamquam baptizaturo solo immediate sic per *ignem*, uti per *Spiritum*; id vero ad judicium perditionis Judæis per Romanos illatæ accommodari vix possit. Accedit, non ad Judæos promiscue, aut ad eos modo, baptizari qui renuerent, aut qui non resipiscerent Baptismate initiati; sed ad Baptizatos quoque a se decenter, & sic effugientes iram Domini, ac Spiritum nacturos, di-

dixisse Johannem, a Domino esse rursus baptizandos. Denique cum *ignis* & *Spiritus* arctissime prorsus connecti videantur, non modo per idem verbum *baptizabit* minime repetitum; sed etiam per idem pronomen geminum *ipse*, *vos*, absque ulla etiam repetitione; non modo per copulativam *&*, sed per eamdem quoque præpositionem *in* semel tantum positam; hinc nexum illum procul dubio dissolveret, qui in Johannis verbis diversa Baptismata pro Personarum diversitate comminisceretur.

C V I.

Modo igitur dicendi illo, *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, neque Hierosolymitanum significatur bellum, neque eversio extrema Judæorum; tametsi eam denotent Baptistæ verba, quæ citatam phrasim in oratione illa præcedunt, & sequuntur; quum nempe dixit de *securi ad radicem arboris posita*, & *de adventuro eo, cujus ventilabrum in manu sua, quique perpurgaturus erat aream, & congregaturus triticum suum in horreum, combusturusque paleas inexstincto igni*. Ast quî, obsecro, concipi nexus potest inter restitutionem eorum, quæ Salomonis Templum illustrabant, & quæ Zorobabelis Ædi deerant, clademque ipsam Judæorum, & excidium Hierosolymitanum? Num Elias, aut Propheta ille, cujus adventu restauranda erat *Gloria Domini*, שכינה aut Majestatica Numinis præsentia; num Elias cum Arca & igne consumente holocausta, cum Prophetiæ & miraculorum donis, una secum debebat ferre belli ignem, Patriæque incendium? Haud profecto congruere videtur, Judæos, pro recepta Magistrorum Traditione, præconceptum habuisse, futurum Eliam tot donorum Restitutorem una, & Eversorem Urbis atque Templi, ceu Paridem alterum, equidem ἀρχίκακον; adlaturumque Gloriam Domini, Prophe-

phetiam & felicitatem Gentis, ſimulque facem obvolutam ſanguine atque incendio, facem belli & Civitatis.

CVII.

Ita ratiocinaturos nonnullos prima fronte remur; quos tamen, attentiore animo rem ipſam cogitantes, confidimus denique faſſuros, nil adeo evincere, Baptiſma in Spiritu Sancto & igni referendum eſſe ad reſtitutionem donorum prioris Templi, nil, inquam, magis hoc oſtendere, quam verba illa ſtatim a Johanne adjecta de igne conſumturo Gentem perfidam, deque bellico incendio, & extrema Judæorum clade. Et ſane quis ignorat, Eliam non modo divinum e cælo devocaſſe ignem ad conſumendum vorandumque quod coram Sacerdotibus Baalis paraverat ipſe ſacrificium; verum, & non ſemel, iterumque, alium cælitus impetraſſe ignem, ultrices nempe flammas, quibus duo quinquagenarii Samariæ Regis Principes ſuis cum militibus in cineres redacti ſunt? Deſcribitur in igne facinus, Libro Regum IV. Cap. 1. his verbis: *Miſitque ad eum* (Ochozias) *quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant ſub eo, qui aſcendit ad eum: ſedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, Rex præcepit, ut deſcendas. Reſpondenſque Elias, dixit Quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo. Rurſumque miſit ad eum* (Ochozias) *Principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo, qui locutus eſt illi: Homo Dei, hæc dicit Rex: feſtina, deſcende. Reſpondens Elias ait: Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit ergo ignis de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus*. Hujus ex facinoris hiſtoria, cujus me-

moriam perpetua Traditione suo adservare in Populo debuerant Circumcisi, palam est, ad Eliam, ejusque gesta, ad spem Judaicam de reditu Eliæ mentem intendisse, non tam Sacerdotes & Levitas qui Johannem interrogabant, sed ipsummet Præcursorem quoque responso suo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Respiciebatur ab universa Gente illa Elias, non modo ceu auspicati devocator ignis, flammarumque sacrarum Altaria incendentium; verum, ut devocator ultoris etiam ignis Osores Numinis aperte devorantis. Itaque tametsi restitutum orbi Eliam dona solum prioris Templi, auspicatumque modo ignem, restauraturum Judæi fortasse expectassent; sermonis tamen series, Johannis mens, reique postulabat veritas & ratio, ut Eliam illum eisdem portenderet venturum, qui amissa non modo restauraturus esset dona, quique non Spiritum modo Sanctum, Prophetiam scilicet & miraculorum virtutem iterum in Ecclesiam inducturus esset; qui denique non sacrum modo devocaturus e cælo esset ignem, Linguasque ignis, & Symbolum Majestaticæ Domini præsentiæ; verum & parem eidem futuram minaretur virtuti Eliæ potestatem ultori igni devocando ad consumendos pervicaces & rebelles Circumcisos, secundum Prophetarum Oracula, excidio perpetuo delendos.

CVIII.

Futurus erat hic revera Messiæ character, sive effectus. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël*, prophetaverat Simeon, Lucæ Cap. II. Quare, alterum promittebatur verbis illis: *baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; alterum minabatur Johannes, illis: *paleas comburet igni inexstinguibili*; qui duo sane ignes minime confundendi sunt, uti perperam factum est ab illis Interpretibus, qui utroque in loco dictum imaginantur

de

de clade Hierosolymorum. Idem nempe phrases inter illas statuendum discrimen est, ac inter duas hasce, quæ in Novo itidem prostant Testamento; ignem nempe illum de quo Servator apud Marcum, Cap. IX. 49: πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται; *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*; ignemque alterum, de quo S. Petrus Epistolæ II. Cap. 3.: πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως, καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν; *igni reservati in diem Judicii & interitus impiorum*. Priori igne siquidem adluserat Servator, uti Baptista responso ad Pharisæos suo, ad restitutionem acceptarum sibi Victimarum; igne altero utitur Petrus impiorum pœnis describendis.

CIX.

Quum vero obscurus adeo & impervius Exegeticis visus sit prior ille locus, qui egregie huc facit, fas mihi impræsentiarum sit, paullisper in eo immorari, quod extra rem non futurum procul dubio confido. Vulgatus Interpres testimonium illud ita reddit: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*. Verum, quidnam est ἁλίζειν πυρὶ *saliri igne*? Scaliger, quo erat audentissimo ingenio, in Epistola ad Johannem de Laët, corruptum arbitratus textum, ad ejus emendationem confugit, quam quum non probaret tamen Werensfelsius, felicissima animadversione nodum solvit, Tomo Operum I. in Cogitationibus de quibusdam Sacræ Scripturæ locis obscurioribus. Ostendit igitur, Interpretes, quoniam hucusque in phrasi πυρὶ ἁλίζεσθαι, vocem πυρὶ *ablativo in casu* acceperunt, miras sibi in illa difficultates confixisse, quas omnes prorsus disparere subjicit, simulatque allegatam vocem *dativo in casu* acceperimus, quemadmodum eadem accipitur in laudato Petri loco, quum Cælum & Terra dicuntur, πυρὶ *igni reservati*

in diem Judicii & interitus impiorum. Quid igitur eſt, inquit, *igni aliquid ſalire*? Nil aliud, regerit, quam aliquid in eum ſalire finem, ut ita ſalſum Altari imponatur, & in eo incendatur, & comburatur. Loquutione ſimili, Reus dici poteſt, *igni* aut *rogo veſtiri*, quum induitur veſte, qua indui Rei ſolent igne comburendi: corpus mortuum *Sepulcro ornari* dicitur, quum ornatum accipit, quo debet ſepeliri. Cujuſmodi exempla ſine numero adferri poſſent. Eſſe autem hæc verba in phraſi πυρὶ ἁλίζεσθαι ita accipienda colligit ex eo citatus Auctor, quod manifeſta heic ſit alluſio ad ſacrificia & oblationes legales, ut patet ex Levitici II. 13. *Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis tui de ſacrificio tuo*. Jam vero de nulla victima dici umquam potuiſſe animadvertit, eam igne ſalſam fuiſſe; ſed de omnibus ac ſingulis Victimis Legalibus, vere potuiſſe dici, eas *igni ſaliri ſolitas eſſe*; omnes enim ſalſæ fuerunt, ut ſic ſalſæ accenderentur in Altari & cremarentur. Quum vero *igni ſaliebantur*, ſaliebantur Deo, cui ita offerebantur, & ab eo etiam ipſo per ἐμπυρισμὸν comburebantur. Sadomiticum revera ad ſalem in Sacrificiis Judaicis adhibitum, qui bitumen erat, pertinenſque ad aromata, quique corrumpi poterat, & corruptus in clivo ſpargebatur Templi, alluſiſſe tunc Meſſiam oſtendit Schoettgenius in Horis Hebraicis ad hunc locum. Dum igitur dixit Chriſtus: πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, oſtendere perrexit, futurum omnem hominem, qui in Nova Lege præceptis vi Gratiæ ſuæ obtemperaverit, gratam acceptamque ſibi Victimam, ceu eas, quæ veteri in Œconomia *ſalſæ igni* erant, oblationi videlicet, & combuſtioni, ſecundum Legis præceptum, aptas; idque præſtiturum ſe apertiſſime ſpopondit; qua cum beata promiſſione tamen componebantur comminationes atque maledicta,

quæ,

quæ, peracto adventu suo, Judæos præcipue manebant; comminationes, inquam, & maledicta, voce πυρὶ itidem denotata. Hinc Parabola illa Evangelica de irato Rege, qui misso Exercitu perdidit hostes suos, & succendit Civitatem eorum igni, πέμψας τὰ στρατεύματα αὐτοῦ, ἀπώλεσε τοὺς φονεῖς ἐκείνους, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἐνέπρησε; uti apud Matthæum legimus Cap. XXII., quem ita illustrat locum Origenes Commentario in Evangelistam illum, Tom. XVII. *Deinde, juxta rudiorem hanc expositionem, ira Regis ea intelligitur, cujus de Judæis loquens Apostolus* (I. ad Thess. II. 16.) *mentionem facit his verbis: Pervenit autem ira super illos usque in finem. Ad hæc, bellum adversus Judæos movendum, & Hierosolymitanum Excidium, populique post Christi adventum cædes, his verbis prænunciatur: Et misso Exercitu suo, perdidit homicidas illos, & Civitatem illorum succendit*; εἶτα ἀκολούθως τῇ ὁλοσχερεστέρᾳ διηγήσει ἡ ὀργὴ τοῦ βασιλέως νοεῖται, ἣν καὶ ὁ ἀπόστολος περὶ Ἰουδαίων ὀνομάζων λέγει· ἔφθασε δὲ ἡ ὀργὴ ἐπ' αὐτοὺς εἰς τέλος· εἶτα προφητεύεται ὁ κατὰ Ἰουδαίων πόλεμος, καὶ ἡ ἅλωσις Ἱερουσαλήμ, καὶ ἡ ἀναίρεσις τοῦ λαοῦ μετὰ τὴν Χριστοῦ ἐπιδημίαν, ἐν τῷ· καὶ πέμψας τὸ στράτευμα αὐτοῦ ἀπώλεσε τοὺς φονεῖς ἐκείνους καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἐνέπρησε. Cum restitutione igitur veterum donorum, cum ignis sacri restitutione, in Messiæ nota, hostium eversio suorum accommodanda erat, sacrorum equidem juxta Oracula Patrum atque Vatum, quod duabus illis, usitatis fortasse, non permiscendis tamen, phrasibus, præstitit Johannes; *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; purgansque aream suam, & congregans triticum in horreum, *comburet paleas igni inexstinguibili*. Ut hic ignis igitur significabat bellum & excidium Judaicum, ita ignis ille ignem respiciebat cum Spiritu Sancto e cælo descensurum; ignem, inquam, cum donis prioris Templi, cum

cum sacris ceteris Phænomenis, pro Pharisæorum Traditione, restaurandum.

C X.

Sane, si veterum consulimus Scripta Prophetarum, uti & Oracula Scriptorum Novi Testamenti, si Historia rerum, veritas, eventusque recenseantur, ita in adventu Messiæ probis bona, improbis vero mala, aut tribuenda, aut tributa fuisse palam erit, ut nexu bonorum atque malorum illo, recte præmonstratum a Johanne Christum Servatorem dignoscemus. Quid enim, obsecro, Jesus de seipso? *Non veni*, inquit Matthæi X. *pacem mittere, sed gladium*; videlicet, *non veni pacem solum mittere, sed etiam gladium; non tantum pacem bonis ferre; sed non Credentibus & impiis eversionem etiam, incendium bellicum, & excidium*. Neque ignorandum enim, usitatissima Hebraicæ linguæ, iccirco & Hellenisticæ dialecti, phrasi, negantes sæpenumero propositiones, ipsaque negantia adverbia sæpesæpius non negare absolute, sed vim habere tantummodo comparativæ, ut dicimus, propositionis; cujus exemplis rei feracissimis sacræ scatent Literæ. Horum en paucissima. Johannis VII.: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*; videlicet, *non tam cibum qui perit; sed cibum etiam, qui permanet in vitam æternam*. Epistola ad Ephesios IV.: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem*; nempe, *non solum adversus carnem & sanguinem, sed* præcipue *adversus Principes & Potestates, adversus Mundi Rectores tenebrarum harum &c.* Lucæ XIV. *Cum facis prandium noli vocare amicos, sed pauperes*; videlicet, *non amicos tantum atque divites, verum etiam pauperes*. Egregio sane Antiquorum more, qui magnis in celebritatibus cujuscumque conditionis hominibus epulum instrue-

ſtruebant ; unde Servatoris eruta Collatio . Plutarchus in Vita M. Antonii ; *Mox* , inquit , *quo Cleopatra dilueret crimina* , *&* *ſuſpiciones illius* (Antonii) *coluit eum mirifice* , *ac die ſuo natali ſummiſſe* , *&* *pro præſenti fortuna ſua* , *acto* , *Natalem illius ſummo ſplendore ac magnificentia celebravit* , *adeo ut multi ad cœnam invitati*, *qui acceſſerant inopes*, *opulenti diſceſſerint* ; ἐκ τούτου Κλεοπάτρα μὲν ἀπολυσαμένη τὰς αἰτίας καὶ ὑπονοίας , ἐθεράπευεν αὐτὸν πρεπόντως . καὶ τὴν ἑαυτῆς γενέθλιον ταπεινῶς διαγαγοῦσα · καὶ ταῖς χρείαις πρεπόντως , τὴν ἐκείνου πᾶσαν ὑπερβαλλομένη λαμπρότητα καὶ πολυτέλειαν , ἑώρτασεν , ὥστε πολλοὺς τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον , πένητας ἐλθόντας , ἀπελθεῖν πλουσίους . Hebraica , inquam , phraſi , illa & ſexcenta alia Novo in Teſtamento pronunciata , eorum inſtar Geneſeos XXXII. לא יעקב יאמר עוד שמך כי אם ישראל *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum*, *ſed Iſraël* ; ideſt : *Non ſolum Jacob dicetur impoſterum nomen tuum* , *ſed etiam Iſraël* . I. Regum VIII. *Non enim te abjecerunt* , *ſed me* , כי לא אתך מאסו אתי ; videlicet : *Non te ſolum*, *ſed etiam me* , ſive , *me potiſſimum abjecere* . Paulus I. ad Corinthios I. *Non miſit me Chriſtus baptizare* , *ſed evangelizare* ; quæ profecto cum ex Helleniſmo , tum ex adjectis , ita efferenda videt quiſque : *Non enim me miſit Chriſtus ut baptizarem tantum* ; *verum præcipue ut Evangelium prædicarem* . Siquidem , mox narraverat Apoſtolus , Stephani ſe domum ſalutaribus Baptiſmi aquis conſecraſſe. Quum itaque diebus Meſſiæ non futura modo fuiſſet juſtitia & abundantia pacis, ut Oracula portenderant ; ſed ex ſcitis etiam Prophetarum , occiſo Chriſto , Civitatem & Sanctuarium diſſipaturus fuiſſet hoſtilis exercitus cum Duce venturo , & finis ejus vaſtitas , & poſt finem belli ſtatuta deſolatio perſeveratura uſque ad conſummationem re-

rum

rum & finem, heinc se venisse ajebat Christus non tantum pacem mittere, sed etiam gladium, has sibi futuras artes,

pacique imponere morem,
Parcere subjectis & debellare superbos;

Neque a bonis solum nova in Œconomia videndos dies securitatis, tranquillitatis, pacis; sed futurum etiam se bellatorem victoremque, & superaturum hostes suos, & eversurum rebellem pervicacemque Judæorum Rempublicam & Urbem.

C X I.

Quamvis igitur Baptistæ verba: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, non ita enarranda arbitremur, ut afferamus, non eumdem ab ipso, in Spiritu Sancto & igne baptizandum; sed morigeros, Christianosque baptizandos in Spiritu Sancto; Judæos vero igne, incendio bellico & excidio; quamvis, inquam, haud ita phrasim illam enarrandam esse cogitemus; quia tamen non in promissis modo, sed in minis etiam de Messia loquentes versati olim erant Divini Vates; inde jure ac merito consequimur, prioribus verbis, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, Baptistam respexisse restitutionem donorum prioris Templi; verbis autem quæ sequuntur: *cujus ventilabrum in manu sua, & perpurgabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, ad bellum respexisse Hierosolymitanum; quibus propheticis utique dicendi modis, & phrasi Judæorum propria, notas & characteres Messiæ, *in resurrectionem & casum multorum*, ut Simeon apud Lucam Cap. II. loquebatur, εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν, positi portendit.

C X I I.

Nexum profecto illum eo magis in Oratione suâ memorare de-

debuit Baptista, quo ad Servatorem statim post se venturum ea esse referenda innuere volebat, quæ Pharisæi, quibuscum tunc loquebatur, ab Elia expectabant, de quo sermo versabatur, & ad quem animum intendebant interrogatione sua Circumcisi. Quis olim autem Propheta ille? Egregie ipsum describit Auctor Ecclesiastici Cap. XLVIII. his verbis: *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt. Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui dejecisti Reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo. Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis. Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum &c.* Et compendium vitæ, potentiæ, & donorum Eliæ; en miracula & portenta, uti Bonorum in auxilium, ita in perniciem impiorum perpetrata. Vidimus, ex Libris Regum, ignem ter ab Elia e cælo devocatum; semel quidem, ad consumendum holocaustum; iterum vero, ac tertio ad delendos Persequutores Prophetarum. Vidimus, ex Jacobi Epistola Cap. V.; orasse Eliam ut non plueret super terram; & non pluisse annos tres; iterum orasse ut plueret, statimque cælum dedisse pluviam. Ἠλίας προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι· καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς ἐνιαυτοὺς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ· Καὶ πάλιν προσηύξατο, καὶ ὁ οὐρανὸς ὑετὸν ἔδωκε. Sperabant jam vero Judæi, ante Messiæ adventum, venturum Eliam, & restitutum iri ejus ope miracula & portenta, sed solum, ita ut dixerim, benefica; re-

ſtaurandam nempe Gloriam Domini, reſtauratum iri Prophetiam, & deſcenſurum rurſus auſpicatum ignem, qui voraret ſacrificia. Verum Johannes, longe alium ab eo quem expectabant Prophetam poſt ſe venturum eiſdem uti patefaceret, eorumque Traditionem ut ſaniorem reduceret ad ſenſum, apertiſſime declarare ipſis debuit, non baptizaturum eum modo in Spiritu Sancto & igni; videlicet, Prophetam magnum mox Legationem ſuam auſpicaturum, ceu verum Meſſiam, non reſtauraturum modo Templi Salomonici chariſmata, neque revocaturum modo ſacrum ignem ſuper Apoſtolorum capita, viva nempe & accepta Deo ſacrificia; ſed, quod Oracula portenderant, dejecturum etiam incredulos & impios, eorum confracturum imo facile potentiam, alioque inauſpicato igne deleturum cum rejecto Circumciſorum Populo Urbem atque Templum.

CXIII.

Fuiſſe porro Eliam typum & figuram Chriſti, Sancti Patres vetereſque Eccleſiæ Scriptores docuerunt. Auctor Sermonum de Tempore, qui inter Opera S. Auguſtini exſtant, ita ſcribit Sermone CCI.: *Beatus Elias typum habuit Domini Salvatoris; ſicut enim Elias a Judæis perſecutionem paſſus eſt, ita & verus Elias Dominus noſter ab ipſis Judæis reprobatus eſt, & contemptus. Elias reliquit gentem ſuam, & Chriſtus deſeruit Synagogam. Elias abiit in Deſertum, & Chriſtus venit in Mundum. Elias in deſerto corvis miniſtrantibus paſcebatur, & Chriſtus in deſerto Mundi hujus Gentium fide reficitur .... Orante Elia filius Viduæ ſuſcitatur; veniente Chriſto filius Eccleſiæ, ideſt, Populus Chriſtianus de carcere mortis reducitur. Elias inclinatur in Oratione, & vivificatur Viduæ filius; & Chriſtus procumbit in paſſione, & ſuſcitatur Populus*

populus

pu'us Chriſtianus . . . *Orante Elia poſt tres annos & ſex menſes pluvia de cælo deſcendit : ita & in adventu Salvatoris tribus annis & ſex menſibus , quibus prædicare dignatus eſt , pluvia Verbi Dei totum Mundum feliciter irrigavit ; & ſicut tunc in adventu Eliæ omnes Sacerdotes Idolorum interfecti ſunt & deleti ; ita in adventu veri Eliæ , ideſt , Domini noſtri Jeſu Chriſti , obſervatio ſacrilega Paganorum deſtructa eſt* . Judæi , fateor , tot haſce tantaſque Chriſtum inter & Eliam ſimilitudines præconcipere ſoliti non erant ; alias tamen imaginarentur neceſſe eſt ; ſiquidem Servatorem ipſum ſe cum Elia contuliſſe legimus , & ex ratione agendi illius Prophetæ ſuam vindicaſſe ; quum quanta in Capharnaum feciſſet , in Patria præſtare nollet ſua . *In veritate dico vobis* , ajebat apud Lucam Cap. IV. , *multæ Viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël , quando clauſum eſt cælum annis tribus & menſibus ſex , cum facta eſſet fames magna in omni terra : & ad nullam illarum miſſus eſt Elias , niſi in Sarepta Sidoniæ , ad mulierem viduam* . Quod utique indicio eſt , ad Eliæ agendi normam componere ſe Meſſiam , Judæorum opinione , debuiſſe ; quum eorum ex præconceptis diſſerere Servator videatur . Præcipuum nexum tamen Chriſtum inter & Eliam ceu *τύπον* inter & *ἀντίτυπον* , quem peracto rerum eventu viderunt Eccleſiæ Patres , Baptiſta ut portenderet , opus ſane fuit ut de Baptiſmate in Spiritu Sancto & igni ab eo conferendo , in Oraculo ſuo diceret , unaque de combuſtione paleæ igni inexſtinguibili ; quibus ſcilicet æque futura adſereret ejus in adventu Salomonici Templi dona reſtituta , futuram Gloriam Domini , Majeſtaticam ejus ſcilicet in nube lucida præſentiam ; futura miraculorum & Prophetiæ dona ; futurum denique auſpicatum e cælo ignem ; ejuſdem poteſtate ac virtute tamen delendum ſimul

Populum Hebræum, descensurumque ultorem ignem, Patriæ facem atque incendium; postremum denique futurum non credentibus Excidium: quæ posteriora sane quum apte significentur securi ad radicem arboris posita, igneque inexstincto comburente paleas; priora illa denotata sint oportet Baptismate in Spiritu Sancto & igni.



CA-

CAPUT XV.

Nonnulla adversus nostram hypothesim Objecta. Loca præsertim Matthæi XVI., Lucæ XI., Paulli I. ad Corinthios I., Petri Actorum III., & Epistola II. Cap. III. afferuntur. Quid ad illa Interpretes. Juliani Cæsaris Objectio. Lux quæ in Templo ante Excidium, juxta Flavium, adparuit. Allegatas a nobis adparitiones videri particulares quodammodo eventus. Fasti Siculi, Ammianus Marcellinus, Hammondus, ceteri citati.

CXIV.

ANtequam Dissertationi finem imponamus tamen, operæ pretium est objectis occurramus, quæ nostram adversus Interpretationem opposituros eos arbitramur, qui nil in hisce rebus, nisi tritum ac repetitum, & quod Vulgo assentari possit, ament & quærunt. In primis vero restituta in Messiæ adventu prioris Templi dona inficiabuntur ex iis quæ apud Matthæum legimus Cap. XVI. 1. *Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes; & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis;* Καὶ προσελθόντες οἱ Φαρισαῖοι καὶ Σαδδουκαῖοι, πειράζοντες ἐπηρώτησαν αὐτὸν σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτοῖς. Petebant scilicet a Christo prodigium simile ei quod Elias olim perpetraverat, ut Beda ait in Lucæ Caput XI., ubi eadem illa quæ apud Matthæum: *Et alii tentantes Jesum, signum de cælo quærebant; ab eo*, ait, *in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant*. Num id optassent vero Pharisæi, si jam non semel sacra quæ descripsimus Phænomena,

ad

ad dona prioris Ædis ab Elia restituenda referri possent ? Sed nec inde post Christi Adscensionem in cælum adparuisse Gloriam Domini, ceteraque veteris ætatis meteora, eruent ex verbis Paulli I. ad Corinthios I., ubi scribit : *Judæi signa petunt, & Græci scientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι, καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν· Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν. Quænam illa vero signa, inquient Assentatores plebis & ignaviæ, de quibus solliciti Judæi erant ? Non miracula quidem pæne dixerim vulgaria, sed extraordinaria prorsus, &, ut Pharisæi a Christo petebant, prodigia *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ e cælo* Si cum prodigiis itaque veteris Templi convenissent phænomena quæ retulimus, non videtur dicere Paullus potuisse, circa annum Æræ Vulgaris LVI. desiderata adhuc a Judæis signa, quæ Christum esse Messiam ipsis patefacerent. Quid clarius tamen verbis Apostoli Petri Act. III 21. ? dum enim Christum ille prædicaret, *quem oportet quidem*, inquit, *cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium*. Ad alterum igitur Christi adventum omnium restitutio erat differenda; primoque in adventu ejus restaurata non fuerunt; aut denique Judæorum Traditio de adventu Eliæ & restituturi omnia non respiciebat Phænomena, de quibus diximus.

C X V.

Ad hæc, cogitaturos imaginamur, qui nonnisi dudum recepta amant, restitutionem illam donorum Templi Salomonis, ut evinceret Jesum vere Messiam esse, evenire debuisse eo modo, quo a Judæis erat præconcepta. Porro Traditio quidem apud Pharisæos erat, ante Messiam fuisse venturum Eliam, & restituturum omnia.

Ve-

Verum, si intelligendum id erat de donis veteribus restaurandis, opus esse sane videbatur, ut Gloria Domini non in agris, aut in montibus conspiceretur, aut in viis; sed ut rursus in Sanctuario adpareret, uti adparebat in Æde Salomonis. Debuisset ignis quoque sacer descendere e cælo, non super hominum capita instar linguarum ignis, sed ad consumenda Altaris holocausta; quod utique factum non est, quod etiam ex Juliano Cæsare animadversum, apud Cyrillum Libro contra Apostatam illum X.: πῦρ γὰρ, φασιν, οὐ κάτεισιν ὥσπερ ἐπὶ Μωσέως ἐγένετο, καὶ ἐπὶ Ἡλίου τοῦ Θεσβίτου πάλιν μετὰ πολλοὺς χρόνους. Heinc illa S. Petri Epistola II. Cap. III. ℣ 4. *Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias conscientias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ?* Πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως; subintellige phrasi hellenistica sive hebraica ὡς ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως; *sicut a principio erant*. In somniis quidem restituta tunc dici potuerunt ejusmodi Charismata; uti in Visione illa mira, quam sua describit in Apocalypsi Johannes: *Et apertum est Templum Dei in cælo*, inquit Cap. XI., *& visa est Arca Testamenti ejus in Templo ejus*. Καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ; qua in Visione etiam Tabernaculum & Gloriam Domini, Gloriamque Templi se conspicatum ait; ast Hierosolymitano in Templo Arcam Dei, ætate Christi, restitutam quis dicat? Lucidam nubem, ut in Dedicatione Templi a Salomone facta, diebus Messiæ, descendisse, & in adytis Templi tunc visam, quis adfirmet? Haud aliam sane referunt illius temporis Scriptores adparuisse lucem, quam descriptam a Flavio Josepho, Libro de Bello Judaico VI. Cap. V. ex divisione

ſione Havercampi , ſcribente : *Deinde cum arte defectionem primoſque belli motus , populo ad feſtum diem Azymorum congregato , die octavo menſis Xanthici , hora noctis nona , tanta lux circa altare templumque circumfuſa eſt , ut dies clarus eſſe videretur , atque hoc horæ dimidiæ ſpatio duravit , quod ab imperitis quidem pro bono omine habebatur : ſed Sacrorum Scribæ , ea quæ poſthæc evenerunt portendi judicarunt* . τῷ δὲ ἐνίκα πρὸ τῆς ἀποστάσεως καὶ τοῦ πρὸς τὸν πόλεμον κινήματος , ἀθροιζομένου τοῦ λαοῦ πρὸς τὴν τῶν Ἀζύμων ἑορτὴν , ὀγδόῃ δ' ἦν Ξανθικοῦ μηνὸς , κατὰ νυκτὸς ἐννάτην ὥραν , τοσοῦτον φῶς περιέλαμψε τὸν βωμὸν καὶ τὸν ναὸν , ὡς δοκεῖν ἡμέραν εἶναι λαμπρὰν , καὶ τοῦτο παρέτεινεν ἐφ' ἡμίσειαν ὥραν ὃ τοῖς μὲν ἀπείροις ἀγαθὸν ἐδόκει · τοῖς δ' ἱερογραμματεῦσι , πρὸ τῶν ἀποβεβηκότων εὐθέως ἐκρίθη . Verum , abeſt adeo Lumen illud ad Gloriam Domini , ad nubem lucidam , quæ Majeſtaticam repræſentabat Numinis præſentiam , referri poſſe , ut inter inauſpicata excidii Hieroſolymorum ſigna illud enumeret Joſephus; addit enim de Vacca agnum pariente, deque terribili Comete gladii inſtar viſo , de ærea Templi porta ſponte patefacta , de voce & ſtrepitu quaſi confertæ multitudinis ſimul clamantis , μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν *migremus hinc* ; quæ ſane omnia cum ſpe & Traditionibus Judæorum de Elia minus conveniebant .

CXVI.

Animadvertent denique nonnulli , fateamur licet , vero Elia Orbi oſtenſo , reſtitutam fuiſſe Gloriam Domini in monte Ithabyrio ; reſtitutum ignem Divinum , quum , die Pentecoſtes ſacro , ſuper Apoſtolorum capita deſcendit , conſequi haud poſſe tamen , illarum reſtitutionem rerum indicatam fuiſſe Baptiſtæ verbis : *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni* . Non enim modo hæc levia veluti in ſe fuiſſe imaginabuntur, ſed externa etiam , & veluti

cum

cum Baptismate Johannis conferenda; neque talia profecto, quæ maximi futuri Messiæ beneficii sat idoneam imaginem Judæorum mentibus ingerere valerent. Christus adventu suo, subjicient Adversarii, ingens, commune, universale, insigne, amplum, perpetuum denique collaturus erat credituris beneficium. Hæc ejus nota, hic verus ac proprius character. Contra adparitiones illæ sive ignis, sive nubis lucidæ, ad eventus particulares reducendæ sunt, adque peculiaria dona, quibusdam personis aliquo tempore collata. Quid reliquum est igitur, (inferendum ducent) nisi ut Baptismum in Spiritu Sancto & igni ad virtutem ipsam Divinam Paracliti Spiritus referamus, ad promissum ignem Sancti Spiritus, ad vim illam efficacissimam, quam Credentibus Christus erat collaturus, ad τὸ σφοδρὸν τῆς χάριτος, vehementiam nempe gratiæ, ut hic loquitur Chrysostomus, ad remissionem tamdem peccatorum, ceteraque Spiritus Sancti ad dona, quibus omnes Christi Baptismate initiati, semper, perpetuo, ubique erant consecrandi; quæque ad Servatoris Baptisma, secundum quod distinguebatur a Baptismate Johannis, pertinebant?

CXVII.

Quam satius etiam, dicent tamdem alii, Baptismum in igne, hisce præconceptis, ad bellum Hierosolymitanum erit referendum, quo Urbs videlicet & Templum igne crematum est, ejusque reliquiæ iterum deletæ, sub Adriano, quod Fasti Siculi innuere videntur, dum, *everso Hierosolymorum Templo*, ipsum, ajunt, *condidisse duo balnea publica, Theatrum, Tricameratum, Tetranympheum, Dodecapylum, quod Anabathmos, seu gradus prius vocabant, & Codram*. καὶ καθελὼν τὸν ναὸν τῶν Ἰουδαίων τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ἔκτισε τὰ δύο Δημόσια, καὶ τὸ Τετράνυμφον, καὶ τὸ Δωδεκάπυλον τὸ πρὶν ὀνομα-

ζέμενον ἀναβαθμοί, *κατὰ τὸν Κέδρων*. Templum vero quum a Tito, solo æquatum sciamus, neque posthac restauratum, in ipsas ab Adriano sævitum ejus ruinas, ipsaque in rudera intelligamus necessum est, in novorum instauratione ædificiorum. Ingens profecto, insigne, amplum Divinæ fuit vindictæ exemplum illa Templi eversio, quæ adhuc permanet, æternumque permanebit, repetitis etiam flammis restaurationem Ædis sacræ prohibentibus; cujus testimonium facti (vel si fidem Historicis Rufino, Theodoreto, Sozomeno, Socrati, & Philostorgio negemus; vel si quis non tanti faceret auctoritatem Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, & Ambrosii,) apud Ammianum Marcellinum exstat, Synchronum Scriptorem & fide dignum, Ethnicum imo, & Juliani Augusti partibus addictum; Sic enim ille hoc de Cæsare, Libro Historiarum XXIII. Cap. 1. *Ambitiosum quondam apud Hierosolymam Templum, quod post multa & internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro Præfectis. Cum itaque rei idem fortior instaret Alypius, juvaretque Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo, elemento destinatius repellente, cessavit inceptum*. Ad insigniora hæc, inquient, perpetua ac notissima sive erga Credentes beneficia, sive in Judæos mala spectasse par est Baptismum in Spiritu Sancto & igne a Messia conferendum; quo nempe ab externo distingueretur & peculiari Baptismate Johannis; illudque virtute, efficacia, universalitate & duratione superaret; quare, non male Baptistæ mentem repræsentasse inferent sua in Paraphrasi Hammondum, qui hisce Prodromum

mum Christi loquentem inducit : *Ego quidem pœnitentiam duntaxat prædico , & more Judæorum Proselytos admitto , ac Baptismo aquæ , qua sola utor cærimonia , consecro ; sed Christus , qui , licet post me venturus , multo est me major , cujusque adeo Discipulus aut Servus qui sim indignus sum (quippe qui est magnus ille Propheta a Mose prædictus , quem omnes audire debent , nisi mortis pœnam subire velint ; qui Legem Mosis emendaturus est , hominesque sublimiorem pietatem edocturus ; quam quidem Legem ego non adtigi , nisi quod ad delictorum in eam pœnitentiam vos vocavi) majori adparatu veniet . Is primum mittet Spiritum Sanctum , qui ita ut oculis cerni queat , in electos ejus ex vobis Discipulos descendet , qui in eum crediderint , & quibus omnem auctoritatem in Ecclesiam abiens commissurus est ; non tantum ut doctrinæ Christi veritatem illis comprobet , verum etiam ut eos ad prædicandam eam doctrinam per totum Orbem , & primo quidem per Judeæ urbes , consecret . Cum ego Discipulos aqua initiem , ille suos initiabit igne , qui ea purgabit , quæ aqua non potuit , eritque forte etiam alius rei emblema ; nam statim ac prædicaverint per omnes urbes Judeæ , veniet ille cum igne incredulos puniturus , & in fine sæculorum unicuique pro operibus mercedem est daturus . Venit instar Agricolæ , ad ventilandum triticum , ea secum ferens instrumenta , quibus grana a paleis separabit , bonum a malo secernet ; bonos autem servabit , rejectamenta vero , vento , vel igni tradet , ut penitus intereant .* Ut ut fuerit de consilio intimo Hammondi , ejus Paraphrasi tamen optime explicatum inquient , quid Johannes intellexerit per Baptismum in Spiritu Sancto & igni ; Judaicis siquidem emblematibus & figuris adjecta reperimus efficaciora Messiæ beneficia , ceterosque maximi momenti effectus , qui adventum ejus sequuti sunt .

Non igitur Baptiſmus ille, de quo præſens eſt quæſtio, ad reſtitutionem donorum prioris Templi reſtringendus eſt, quam reſtituto Elia expectabant Circumciſi.

CAPUT XVI.

Allegatis difficultatibus occurritur; magiſque demonſtratur, veterum ope Chariſmatum Meſſiam baptizaſſe, ſive conſecraſſe revera Apoſtolicam Eccleſiam Spiritu Sancto & igni.

CXVIII.

UT allegatis mox fiat ſatis, illud imprimis fateri oportet; eos, qui hucuſque recitata objecturi forent, non animadvertiſſe profecto, ad quoſnam Johannes loqueretur, tum quum de Baptiſmate dixit in Spiritu Sancto & igni. Non inficiamur, veteres Prophetas ſub figuris olim & emblematibus præſtantiora, ſupernalia nempe, Chariſmata denotare voluiſſe; quorum de Vaticiniis ita in Epiſtola ſua I. Petrus Cap. I.: *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias; quibus revelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Aſt num cum Prophetis loquebatur tunc Baptiſta? num cum iis, qui vere propheticum ac ſpiritualem Oraculorum ſenſum intelligerent? aut cum iis ſibi res erat potius, qui Magiſtrorum Traditionibus præſertim agebantur;

tur;

tur; quive arcanum Oraculorum sensum adtingere non poterant? Nonne postremum hoc ostendunt satis ejusdem Petri verba, Epistolæ II. Cap. 1., ubi ait: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*. Post fulgentissimam adhuc Resurrectionem suam, impletis veluti sublimioribus Oraculis, Christus ipse, ut legimus Lucæ Cap. XXIV. *incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis* (Discipulis nempe suis) *in omnibus Scripturis quæ de ipso erant*. Et tamen post Ascensionem adhuc Messiæ, quum vidissent Spiritum Sanctum super nonnullos Ethnicorum conspicuo descendentem modo, *obstupuerunt ex Circumcisione fideles*, ait B. Lucas Actorum Cap. X., *quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. Quî enim non se Hebraica veluti in Œconomia adhuc agere existimassent primorum temporum Christiani, quos inter, vel post accepta etiam Spiritus Paracliti charismata, fuere de cæremoniis, deque præceptis Mosaicis dissidia? Adeo vel post idoneam institutionem alieni Judæi erant a præconcipienda communione illa atque universalitate, ut ajunt, beneficiorum Messiæ ab omnibus qui recte credidissent percipiendorum. Opus fuit Petro visione lintei, in quo omnia essent quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli; opus fuit Divina ad eum voce, ut occideret ac manducaret; opus prodigio fuit, ut dignosceret vel Apostolorum Princeps, quod non esset personarum acceptor Deus; sed omni in Gente acceptum illi esse qui in Christum crederet, & operaretur justi-

justitiam. Heinc tot & tanta in Paulli Epistolis, quibus dignoscerent demum Circumcisi, ad solos Judæos restringendum non fuisse adventus Messiæ beneficium. Lux tanta tamen non conveniebat adhuc tempori Johannis, qui *ad hominem* adesse Messiæ dies Pharisæis ut ostenderet, oportebat id præstaret ex signis, indiciis atque beneficiis, quibus ætatem illam Magistri Judæorum præfinierant; ex donis nempe prioris Templi, quæ tantum expectabant desiderabantque, ex restituta felicitate Israëlis, ex gloria Templi posterioris.

CXIX.

Haud negamus quidem, adparitiones illas sive descendentis sacri ignis, sive Majestaticæ Domini præsentiæ, nova in Œconomia, particulares videri veluti eventus, aut particularia dona quibusdam personis brevi tempore collata. Verum quid inde rogo atque obsecro? Nonne ipsa Messiæ Resurrectio maximum est totius Christianæ doctrinæ & disciplinæ fundamentum? Quam pauci tamen fuerunt Resurrectionis illius testes! Quam paucis post Resurrectionem adparuit Redemptor! *Hunc Deus suscitavit tertia die*, inquiebat S. Petrus, Actorum X., *& dedit eum manifestum fieri, non omni Populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*. Sanctus vero Paullus ita scribebat in Epistola ad Corinthios II. Cap. 15.: *Resurrexit tertia die secundum Scripturas: & visus est Cephæ, & post hoc undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus: novissime autem omnium tamquam abortivo visus est mibi*. Testes igitur Resurrectionis Christi fuerunt Apostoli modo, & pauci ex ceteris prio-

prioribus Discipulis; Resurrectionis, inquam, Christi, cujus ex cognitione & certitudine maximum pendebat momentorum, quibus universum nititur novæ Dispensationis sacramentum. Non omni populo ostendendus erat resurgens Christus, sed testibus solum a Deo præordinatis, ut ajebat Petrus; neque se tali dignum honore habebat Paullus, quod minimum se duceret Apostolorum. Eadem igitur loquendum ratione ceteris de donis sensibilibus, deque conspicuis quæ adparuere signis, quibus speciali privilegio Apostoli & Christi Discipuli erant consecrandi; præsertim quum, uti jam animadvertimus, adparitiones illæ, ceu Judaicarum qualiacumque complementa Traditionum, diluculare ad tempus novæ Legis pertinerent potius, quam ad novam ipsam Legem; adque mediam illam Œconomiam spectarent, quæ utraque inter Fœdera intercessit; præludia demum quædam essent novis ac sublimioribus Mysteriis inducendis, umbrisque & figuris pedetentim apud Judæos antiquandis.

CXX.

Quid, quod neque raræ adeo fuere adparitiones illæ, ut vix eas cum Johannis promissione conferri posse quis inficiari audeat? Descendit siquidem nubes Gloriæ in Servatoris ortu, in adventu Sapientum Orientalium, & dum baptizaretur Christus in Jordane. Viderunt Majestaticam Numinis præsentiam Petrus, Jacobus, & Johannes in Transfiguratione Domini. Eam viderunt Stephanus & Paullus. Ignem viderunt e cælo descendentem quotquot coacti erant Credentes, die Pentecostes sacro; descendit conspicuo lucis flammulæque modo Sanctus Spiritus super Cæsareæ Viros Gentiles, stupore & admiratione captis præsentibus tum omnibus Judæis. Non semel, iterumque clarificatus est Dei Filius; satisque notum,

non

non omnia, quæ Christi ætate evenerunt, fuisse Literis mandata; hujusce modi generis præsertim, quæ vix constitutam ad Ecclesiam, adultaque pertinere poterant ad tempora; resque erant, quas exundanti modo Numinis erga Circumcisos credentes indulgentia evenisse certum est; quare frequentiores adhuc non fuisse tunc temporis adparitiones illas, quo argumento quis ostenderet? Multa sane, quæ Apostolica in Ecclesia conspecta patrataque sunt, fuisse *Historiographi licentia* a S. Luca prætermissa, docet Hieronymus in Commentario ad Cap. II. Epistolæ ad Galatas; nosque non plura retulimus ex sacris Apostolicæ Ecclesiæ Phænomenis, quod iis placeret modo niti, quæ cum Sacra Historia componuntur. Nonne Luminis adparitiones exhibent Acta Theclæ vetustissima, quæ cum Sacris allegatis meteoris conferri jure possent? Nempe, si aliqua illis fides, dum Thecla baptizaretur, *ipsam ignea nubes circumdedit*; ἣν περὶ τὴν Θέκλαν νεφέλη πυρὸς; & dum se conferret Seleuciam, *lucida nubes dux viæ ejus erat*; νεφέλη φωτεινὴ ὡδήγει αὐτήν; quæ non contemnenda profecto, quum Actorum illorum vetustatem egregie adeo ostendat Johannes Ernestus Grabius, Tomo Spicilegii SS. Patrum I., ex eo præsertim, quod vix quidquam in iis reperiatur, quod primæ ætatis hypotheses non redoleat; quas inter procul dubio sacrorum frequentia Phænomenon, quam ex vigescente receptaque tunc temporis Traditione in narrationem suam derivavit Actorum Scriptor.

CXXI.

Diximus jam, perfectiore modo fuisse dona prioris Templi restituta; etiamsi fortasse, pro Magistrorum Traditione, præconceptum Judæi habuissent, fuisse ea restauranda, eo quo, regnantibus Salomone & Davide, conspiciebantur modo. Neque verum est,

eſt, ſuper Tabernaculum modo, aut in Templo tantum, fuiſſe Gloriam Domini conſpectam; ſed in Deſerto etiam, in Sina, ad fluvium Chobar, Patriarcharum ætate; ubicumque Michaël adparuiſſe dicebatur, ex ſententia Rabbinorum ſaltem; eaque de cauſſa appellabantur prioris Templi dona, ea de quibus agimus chariſmata, quod, priori Æde diruta, ablata Judæorum populo fuiſſent. Quod vero perfectiore reſtaurata fuiſſent modo, neque refractariis Judæis viſa eſſent, iccirco a Flavio etiam prætermiſſa ſunt; qui de Judæorum ſatius, quam de Chriſtianorum rebus ſollicitus, ejuſmodi reſtitutionem donorum aut ignoravit, aut non intellexit, aut nullam ejus habuit rationem. Ceterum, Joſephi hac de re ſilentium haud magis eidem officit, quam ſilentium de Ægypti plagis, Sione, μοσχοποιΐα, Herodiano Infanticidio, ſexcentaque alia, quæ Oitius in Paralipomenis omiſſa ab Hiſtorico Judæorum animadvertit, illarum veritati rerum officere hucuſque potuerunt.

CXXII.

Sed ad præcipuum deſcendimus Objectum, cujus enodatio interpretationem noſtram illuſtrabit egregie, vindicabit imo, & confirmabit vehementer. Acceſſerunt enim ad Jeſum Phariſæi & Sadducæi, inquiunt Adverſarii ex Matthæo, tentantes eum, & rogantes, ut ſignum de cælo oſtenderet eis, videlicet ut, Eliæ in morem, Divinum ignem cælo devocaret; imo poſt Aſcenſionem adhuc Redemptoris, uti Græci Sapientiam, ita Judæi ſignum perpetuo petebant, quo Meſſiam eum eſſe liquido cognoſcerent. Ut igitur in adventu Meſſiæ reſtituendam Gloriam Domini, ignemque ſacrum iterum deſcenſurum expectarent, peractum id tamen dicere non poſſumus in allegatis Phænomenis & meteoris ſacris;

quare neque ad ea respexisse Johannem Oraculo suo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, dicendum est; quum nisi quod revera futurum in adventu Christi erat, spondere potuerit Dei Domini Propheta.

CXXIII.

Non desunt Interpretes, qui verba Pharisæorum Sadducæorumque quærentium *σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ signum de cælo*, ex illis enarranda ducant omnino similibus apud eumdem Matthæum Cap. XXI. 25.: *Baptismus Joannis undenam erat? ἐξ οὐρανοῦ e cælo, an ex hominibus? Illi autem ratiocinabantur apud seipsos, dicentes: Si dixerimus, ἐξ οὐρανοῦ e cælo: dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi?* uti ex illis Epistolæ Apostoli ad Romanos I. 18.: *Revelatur enim ira Dei ἀπ' οὐρανοῦ de cælo super omnem impietatem & injustitiam*. Ex phrasi Judaica ortus erat hic dicendi modus; adnotat siquidem Buxtorfius ad vocem שם in Lexico, apud Rabinos & Talmudicos nomen שמים *Cæli* passim pro Deo ipso sumi; & inde loquutiones, *e Cælo, an ab hominibus?* ideft, *a Deo, an ab hominibus?* Matth. XXI. 25. Sic, *Pater, peccavi in cælum & in tuo conspectu*, Lucæ XV. 18., unde sensus petitionis Judæorum esse videatur: *Fac nobis, Rabbi, signum & prodigium quod a Deo vere veniat; quod a Deo profectum esse aperte dignoscamus; quod vires naturæ excedat prorsus; quod Legationem tuam cælitus ostendat*. Ex quo sane sequeretur, eos non adhuc expectasse ignem, uti Eliæ tempore, e cælo descendentem; quum prodigii, quod petebant qualitatem, nuda Evangelistæ verba minime determinare videantur. Ceterum, quia nonnullis ex Versionibus, nobillissimorumque ex mente Interpretum, ignem ad Eliæ morem e cælo descendentem Pharisæos petiisse valde verisimile vi-

videtur, haud negaverimus, ætate illa, five in primordiis Legationis Christi, non sat adhuc fuisse notam restitutionem veterum charismatum; quum semel tantum, iterumque tunc aliquibus solum Gloria Domini adparuerit. Imo quum post cælestem Transfigurationem in monte Ithabyrio, jusserit Discipulis Christus suis, ne Visionem alicui manifestarent, donec ipse a mortuis resurrexisset; indicium est, ad illud fuisse retrahendam tempus restitutionis veterum Charismatum manifestationem. Verum, si Pharisæi & Sadducæi ignem e cælo descendentem a Christo quæsiverunt, & ea ratione qua olim id præstiterat Elias, quo scilicet ipsum Messiam esse dignoscere valerent; nonne eruamus necessum est, adventum Messiæ, opinione Judæorum, ex restitutione veterum donorum fuisse dignoscendum; eaque ex restitutione, ceu ex vera Messiæ nota & charactere, fuisse Christi post se venturi dignitatem a Johanne præmonstrandam?

CXXIV.

Haud ita tamen de Paulli loco definiendum remur, qui allegato sane parallelus non est. *Judæi*, inquit Apostolus, *signum quærunt*, σημεῖον αἰτοῦσι; quod de miraculis licet omnes interpretari soliti sint, aliud significare tamen opus est; quum recepta illa interpretatio, neque tempori conveniat, quo Epistolam ad Corinthios scribebat Paullus, neque adjectis, iisque ad quos scribebat. Quid enim? Num eo loci erant Judæi anno Æræ Vulgaris LVI. quo Pharisæi, de quibus mox diximus, tempore scilicet, quo vix Legationem auspicatus erat suam Christus? Num eo loci, illiusque erant conditionis Circumcisi, ac Herodes erat, gavisus valde Jesum ad se a Pilato missum, ut Lucæ legimus Cap. XXIII., quod *cuperet ex multo tempore videre eum, & speraret signum aliquod*

videre ab eo fieri? καὶ ἤλπιζέ τι σημεῖον ἰδεῖν ὑπ' αὐτοῦ γινόμενον. (Quamvis hoc in loco miraculum vox σημεῖον significare non possit; neque enim nisi aliquid ludicri se ex Jesu visurum sperasse impium Sadducæum, evincit Georgius Ludovicus Œderus Animadversionum Sacrarum XIII.) Post Lazarum a mortuis excitatum, post tot ægros sanitati restitutos, post prodigia quæ in morte Christi evenerunt, post tot stupenda ab Apostolis perpetrata, Judæi adhuc signum, scilicet miraculum postulabunt, quo Christo nomen dare possint? Nonne quum imperasset Servator ventis & mari, unde tranquillitas oriretur magna, *homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* ut Matthæi legimus Cap. VIII. Sunt sane illa apertissima, quæ Servator apud Johannem habet Cap. XV. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*. Cur igitur Judæos Apostolus induxerit adhuc signum aliquod petentes, ceu ita signis prædicatio Christi & Apostolorum caruisset, ubi sapientia reapse Græcorum, & humana carebat eloquentia?

C X X V.

Ad hæc, scribebat tunc Paullus ad Corinthios qui Charismatibus illis copiose adeo donati fuerant, ut eisdem aliquando abuterentur, quare ea de re moneri ab Apostolo indigerent. Sane illiusmet Epistolæ Cap. XII. *Alii quidem per Spiritum datur*, inquit Paullus, *sermo Sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii Prophetia: alii discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum ... Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos,* se-

secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum &c. Sic I. ad Thessalonicenses I. gloriatus jam fuerat Apostolus, prædicationem suam ad eos *non in sermone tantum fuisse, sed & in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa*; Ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ; de quibus gloriari sane haud fuisset apud eos ausus, nisi adgnita & notissima fuissent. Pugnantia certe scripsisset Paullus, si tot existentibus in Ecclesia Charismatibus; tot patratis a Deo ejus etiam in Conversione prodigiis & miraculis, quæ copiosissime describit, arbitratus fuisset adhuc, neglectam a Judæis Christianam fidem atque Disciplinam, quod iis destituta esset signis, quibus ejus Divinitatem fateri cogerentur.

CXXVI.

Quid quod neque illa videntur cohærere: *Judæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Cohærere, inquam, non videntur, si de prodigiis, miraculis, & charismatibus, Judæorum desiderium accipiendum sit. Opponit siquidem Apostolus Christum crucifixum, quem prædicabat, signo petito a Judæis, ceu objectum infidelitatis, quod scandalum appellat, objecto quod præconcipiebant fidei. Verum adversa ne adeo crux & mors Christi prodigiis & miraculis ejusdem; insigne ne adeo antithetum, sunt ne adeo crux & miracula ἀντίστοιχα, ut hic Paullus significare videretur? Nonne scribere potius ipsum oportuisset: *Judæi signum vel signa quærunt & petunt; nos autem hæc signa evenisse in ipsa Christi morte prædicamus; velum nempe*

nempe Templi in duas scissum partes a summo usque deorsum, motam terram, petrasque scissas; sponte patefacta monumenta, unde multa Sanctorum corpora, qui dormierant, surrexerunt. Judæi signum de cælo quærunt, quo Jesum Messiam esse dignoscant; nos autem signum de cælo, vel dum cruci adfixus fuit Jesus, factum prædicamus; nam ab hora sexta usque in nonam tenebræ tunc factæ sunt per universam terram, & obscuratus est Sol, & universa elementa conspicuo modo non solita prodigia exhibuerunt. Quæ quidem omnia Christi crucem scandalum apud Judæos minime effecissent, sed mortis ejus virtutem & gloriam satius indicassent. Quum vero Christus crucifixus signo opponatur, juxta Paullum, quod petebant Circumcisi, de aliquo cogitemus necessum est, quod vere, Judæorum opinione, illi scandalo ἀντιστοιχῶν oppositum esse videatur.

CXXVII.

Animadvertit Vir doctus, in Dissertatione hoc de argumento, vocem σημεῖον non esse ad solam miraculi significationem restringendam, sed latiori donatam esse, ceu a verbo σημαίνω *insignio* derivatam. Itaque Paulli verba ita subjicit vertenda: *Judæi petunt insigne quid*; quæ interpretatio certe cum mente Paulli, cum orationis sensu, cum adjectis & loci exigentia mirum convenit in modum. Quem enim futurum expectabant Messiam illius ætatis Recutiti? Non alium nisi Regem maximum & fortem, Liberatorem Patriæ, & bellatorem hostium suorum; Regem, inquam, eum splendore & fulgenti pompa adfuturum. Hisce quum vitaeque & mors Christi ornamentis caruissent; fato etiam functus fuisset Jesus, Judæorum sententia, infami; heinc errorem eorum Paullus ut argueret, *Judæi*, inquiebat, *petunt insigne quid*, &

quod

quod eorum oculos, in Messiæ persona, splendore suo veluti perstringat; nos contra illis prædicamus Messiam crucifixum; non credentibus quidem scandalum; iis vero qui crediderunt Dei virtutem & Dei sapientiam; quo sane in sensu mire elucet crucem inter & σημεῖον a Judæis petitum oppositio.

CXXVIII.

Quis miretur vero eam fuisse Judæorum ætatis illius de Messia opinionem, quum vel ipsi Servatoris Discipuli, vel post fulgentissimam ejus Resurrectionem, simile quid expectare viderentur, ut Lucæ legimus XXIV. *Nos autem*, ajebant non cognito Præceptori, *sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël*. Errorem illum e Pharisæorum mente evellere jam sategerat Redemptor, dum ab eisdem interrogatus: *Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione*, μετὰ παρατηρήσεως ait Textus Lucæ XVII. 20., videlicet: *Regnum Dei veniet absque illo quem imaginamini adparatu; veniet Messias absque Aulicorum satellitio, absque militum exercitu, sine pompatico terreni Imperii splendore*. Vocem σημεῖον tamen hoc in loco id significare, nil evincit magis quam parallelus locus, qui dum lucem allegato tribuit, illustratur ipse maxime. Est ille apud Matthæum Cap. XXIV. 30. ubi nempe magnificum describens Christus adparatum, regalemque Judicis supremi pompam, qua decorabitur extremo, dum venerit judicare vivos & mortuos, die; *Et tunc*, inquit, *parebit signum filii hominis in cælo*; καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ. Non ignoramus utique varias Eruditorum esse de *signo illo* interpretationes; sed nativam remur, quæ illud, ut ait hic Bengelius, ad magnum quiddam valde illustre refert, & quod oculos percellat; ad pompam & fulgorem advenien-

nientis Filii hominis ; ad decus ejus Majestaticum , quod ex adjectis proximis eruitur ; videlicet : *& videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa , & majestate* ; καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς . Hoc ceteris ab Evangelistis eadem ratione, eademque emphasi relatum est, confirmatumque uberrime ab Apostolo, II. ad Thessalonicenses II. 8., ubi extremo ille die Christum revelaturum ait exlegem illum hominem peccati , eumque interfecturum Spiritu oris sui , *& destructurum eum illustratione adventus sui* ; καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ ; illustri & majestatico nempe adventu suo , in morem Judicis & Regis hostes suos eversuri ; adparituri que *in Gloria Patris sui , cum Angelis ejus ,* ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ , μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ ; ut , Matth. XVI. 27. , postremo de suomet adventu Christus loquitur . Quum igitur , ad Corinthios scribens , inquit Paullus , Judæos tum adhuc σημεῖον *signum* petiisse , quum eo loci vox illa de Regali adparatu, magnificentia & pompa , deque satellitio Regio , & de præconcepto Regali quodam a Judæis fastu , intelligenda sit ; sit propterea nemini esse dubitandum de restitutione donorum prioris Templi , ut Baptista spoponderat , peracta ; inficiarique haud debemus , adparuisse Gloriam Domini non semel , Divinum ignem e cælo rursus descendisse ; baptizatos , sive consecratos fuisse Credentes charismatibus ceteris , dono nempe miraculorum atque Prophetiæ ; Judæorum Traditionem , perfectiore tamen eo , quo conceperant , modo fuisse adimpletam ; cetera evenisse , quæ Johannis Oraculo fuerant ex præconceptis Judæorum , eorumque ex phrasi & dicendi genere , promissa .

CXXIX.

CXXIX.

Quod si animadversiones hasce posteriores cum prioribus, cum Traditione nempe Judæorum, cumque iis, quæ enarrata sunt, jure conferamus, non interpretationis modo nostræ veritatem noverit quisque per se; verum quæ fuerit quoque Restitutio illa omnium de qua S. Petrus loquebatur Capite Actorum III. Non enim aut finem Mundi, aut Judicii diem respiciebat tunc Apostolus, non millene Regnum, aut donorum Restaurationem conflagrato Orbe peragendam; sed integram satius Restitutionem omnium, cum bonorum, tum malorum & periculorum omnium, quæ incredulos manebant, moxque Hierosolymitano in Excidio futura erant. Optime Grotius ita verba Petri in Commentario enarrat: Ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. *Usque ad tempora restitutionis omnium.* Ἀποκατάστασις *Plutarcho, Columellæ, Numenio apud Eusebium, Servio ad Eclogam quartam, Gnosticis apud Irenæum, l. 33. & aliis est*, Revolutio Sideris in pristinum locum. *Historicis*, quies reddita turbidis rebus. *Sed cum* ἀποκαθίστασθαι *etiam* ostendere *significet, sicuti* ἀποκαταστατικὸν ostensivum numerum *Capella vocat* quinarium, *quia cum aliis imparibus sive cum suo genere sociatus, se semper ostendit, hunc sensum hic præferam: Adusque tempus illud, cum exhibita rebus erunt ea quæ Prophetæ verbis prædixerant de Excidio Judæorum, de vocatione Gentium. Sic* ἀποκαταστήσατε *pro* καταστήσατε constituite, *Amos V. 15. Nec aliter sumitur*, ἀποκαθιστῶν, qui restitues, *Psal. XVI. 5. & Oecumenius sic explicat*, ἀποκαταστῆναι, εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα; restitui, ad finem omnia perduci. Quod etiam jam a Casaubono animadversum. Porro in Sacris Phænomenis, inque Prophetiæ & miraculorum donis restitutis, restaurata erant quidem omnia quæ Judæi restituenda expectabant

ab Elia ; quæque futura præconceperant ex interpretatione Malachiæ . Aft loquitur heic Petrus de reftitutione omnium , *quæ locutus eft Deus per os Sanctorum fuorum a Seculo Prophetarum*, five ut in plurimis Codd. legimus , *Prophetarum omnium* , qui revera & Gentium vocationem , & Hierofolymorum Excidium , futurum, Meffiæ temporibus, prædixerant . Hæc fi reliquis, de quibus diximus , adjicias , habebis fane reftitutionem omnium ; quod oftendunt maxime quæ antecedunt Petri verba : *Pœnitemini & convertimini , ut deleantur peccata veftra &c.* , ne fcilicet non credentes in Excidio cum ceteris perirent . Sed de hoc fatis .

Qua tamen ratione iis fatisfacere pergemus , qui fortaffe a nobis inquirent , qui fieri potuerit , ut rari adeo Judæi Chrifto nomen dederint , quum noffe facile potuerint , ex donorum prioris Templi peracta , ut contendimus , reftitutione , non veterum modo Oracula Prophetarum fuiffe adimpleta , fed Magiftrorum quoque Traditiones , & Pharifæorum ipfa fcita fuum fortita fuiffe complementum ? Facilis hercle folutu ex jam animadverfis nodus . Nempe , præter Eliam , a quo dona illa erant reftauranda , Perfonam alteram Judæi expectabant , videlicet Meffiam , qui jam reftituta inveniret dona illa univerfaque Charifmata ; Meffiam, inquam , qui Regis Ducifque modo muneribus fungeretur , qui regnaret , imperaret , bellum ageret , Gentefque ceteras fuam redigeret in poteftatem ; cujufque *a facris* , five *Æditus* Elias effet , ad quem videlicet facra pertinerent , qui Meffiam ungere deberet ; & a quo inftauranda , vel reftauranda erat Ecclefia , & in ftatum componenda Meffia dignum . Ut ut igitur maxima Recutitorum pars , quam jam Deus ob iniquitates patrum & filiorum derelinquere decreverat , nonnulla Charifmata eo temporis noviffet re-

ftau-

ſtaurata, quum tamen neque Eliam eſſe ſe faſſus fuiſſet Baptiſta, neque Prophetam alium perſonaliter, uti dicebant, expectatum & in Orbem veluti reverſum; quum poſt Chriſti Legationem, quam in prædicatione tantum verſatam crediderunt, nullum comparere vidiſſent Judæi Regem, nullum ex Gente ſua Ducem, qui eos a Romanorum jugo liberaret; factum inde ut populus Judæus, veluti

Cæcus qui pulchri non cernit lumina Solis,

reſtitutionem veterum Chariſmatum, ſublimiore tamen modo jam factam fuiſſe non animadverterit; paucique inter Circumciſos Chriſtianam fidem amplexi ſint, etiamſi prodigia demum adparuerint, veteribus prodigiis, & donis Templi Salomonici ſimillima.

CXXX.

In Oraculo autem Johannis, ſive in ejus verbis: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, verum detegemus Prophetiæ characterem; quum præſertim, noſtram juxta Hypotheſim, illud acceperimus de Conſecratione Credentium chariſmatibus prioris Ædis peragenda. Quamvis enim pleraſque Judæorum Traditiones ex vera antiquiſſima Theologia derivatas fuiſſe nulla ratione dubitemus; certum adhuc tamen, earum nonnullas, ſive Phariſæorum interpretationibus, ſive ſocordia & ignorantia, ſive ex aliquibus Scripturarum locis perperam intellectis, fuiſſe vitiatas. Ejuſmodi Traditio erat, de qua hucuſque diſputavimus. Spoponderat Deus ore Malachiæ, futurum ut ad Judæos mitteret Eliam myſticum, qui, ante Meſſiæ adventum, converteret cor patrum ad filios, & filiorum ad patres. Quid tum Magiſtri Judæorum? Locum ſtatim intelligunt de Elia Thesbite *perſonaliter* venturo, & pro receptis opinionibus de Lege Moyſis æternum duratura, deque Templo

perseveraturo usque in finem, Eliam illum, non venturum modo ut evangelizaret de Messia imaginantur, verum etiam ut restitueret omnia in antiquum statum, videlicet res quinque, quæ in domo desiderabantur posteriori, Arcam fœderis, Urim Thummimque, Divinum e cælo descendentem ignem, Majestaticam Domini præsentiam, & Spiritum Sanctum. Ministerium jam vero auspicatus suum Johannes, ut Matthæi Cap. III. legimus, hac uti cœpit Oratione: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cælorum. Expedite viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Hoc quum audissent Pharisæi, an Elias esset ipse, rogare perrexerunt; quum ad Eliam modo pertinere arbitrarentur parare Domino plebem perfectam. Dum vero se Eliam non esse regerit Præcursor, dum de Baptismate suo ait, deque Baptismate in Spiritu Sancto & igni, apertissime intelligimus, eum Judæorum de Eliæ adventu muneribusque Traditionem erroris veluti arguere, & quantum ratio temporis sinebat, docere eosdem, charismata quæ illius Prophetæ ope reddita Israëliticæ Genti credebant, mox restauratum iri ab eo qui se fortior & potentior adpariturus erat, & cujus dignus non erat ipse calceamenta portare. Sane si negare aperte perrexisset Præcursor Thesbitem Eliam esse rursus terris conspiciendum; si nullum umquam restituendum Orbi Prophetam monuisset, neque prioris Templi dona eo restituenda modo quo in Æde Salomonis: si dixisset sacrum ignem numquam descensurum ad incendenda altaris holocausta, non videndam amplius arcam, Urim Thummimque non amplius consultum iri, Pharisæos efferasset Johannes, dum actum de communi Gentis spe, receptisque de Traditionibus statim timuissent. Nullam tum agere voluissent pœnitentiam, non Prodromum audire, pœnitentiæ Baptismate ini-

initiari noluissent, neque sternere Domino viam Johannes potuisset; qui, ceu verus Numinis Propheta, quum ex antiquorum certissimorumque nosset fide Oraculorum, ampliora & nobiliora Charismata, instar etiam eorum, quæ stante priore Templo in Israële visebantur, fore in adventu & Legatione Messiæ conspicienda; quumque in Œconomia ageret, ut diximus, Legem inter & Evangelium media; neque adhuc luce frueretur, qua post missum ad eos Spiritum Sanctum gavisi sunt Apostoli; Judæorum animos iccirco mulcere voluit verbis, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, quibus nempe & spem, quam conceperant, Judæorum in animis fovebat, reformabatque pro loci temporisque conditione, Traditionem illam, & veritati consulebat sapientissime.

CXXXI.

Porro Judæorum in animos ita adfectos constitutosque pervium magis fuit eas suaviter inducere nobiliores veritates, quæ ampliorem lucem recepturæ erant in dies, & vim tamdem habituræ ex prædicatione Christi & Apostolorum, ejusque ex auctoritate & dignitate demum adgnita, quæ magis profecto, quam restituta veterum temporum Phænomena, Novum in Fœdus Judæos trahere oportebat. Dum igitur promisit Johannes a venturo post se consecrandam antiquis Charismatibus Ecclesiam, Judæorum phrasi & more, Messiam mox adfuturum promisit, ejus dignitatem asseruit, characteres ejus & munera, pro receptis opinionibus, & κατὰ συγκατάβασιν, expressit, quæ sane cum futuris rebus, si recte interpretarentur, minime pugnabant. Illustrioribus autem veritatibus, quantum par erat, traditis, ad lucem ex umbris, a figuris ad res ipsas, Judæorum animos feliciter transire oportebat, nosse-

nosseque ex Evangelica doctrina, quod Spiritu repletus Sancto intellexit Simeon die Circumcisionis Christi. Expectans ille παράκλησιν consolationem Israël, ut Lucæ legimus Cap. II., certiorque factus Sancti Spiritus Oraculo, fore ut Messiam videret, antequam ex hac vita dimitteretur, eodem Sancto ductus Spiritu in Templum, dum Parentes ejus sisterent Jesum Domino, ut eum vidit, accepit statim in ulnas suas, Deoque immortales agens grates: *Nunc*, inquit, *jam tamdem libens morior, nunc ex hac vita libens denique discedo, quia viderunt oculi mei eum, qui salutem omnibus Gentibus laturus est; eum oculi viderunt mei, qui futurus est verum Lumen Gentibus, qui vera futurus est Judæorum Gloria.* φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ. Vides vocem consecratam δόξα, & φῶς, intellige τὸ θεῖον, quod idem ac ענן יהוא nempe adludit hic Simeon ad שכינה nubem Gloriæ, ad Gloriam Domini in Nube lucida repræsentatam, quam Judæi expectabant in adventu Messiæ; ceu dicere Vir Sanctus voluisset: *Nunc vere felix morior, quia datum mihi fuit videre solamen & expectationem Gentis nostræ, desideratamque diu hujusce Templi Gloriam; non qualem præconcipiunt qui pinguiori Minerva Oracula interpretantur; sed qualem decebat Spirituale Regnum Redemptoris. Puer hic, quem in ulnis gero, verus est Messias; veram hic nobis adventu suo Majestaticam adtulit Numinis præsentiam; hunc pro suo* שכינה *credituri Israëlitæ adorabunt; hoc ducti lumine cæleste in Fœdus cooptabuntur quæ eum sequentur Gentes. In hoc uno restitutam video Gloriam Domini; reducet hic perfectiora veteribus charismata.* Hos, inquam, sensus, sat manifestata demum & ostensa Christiana fide & Disciplina, induere Judæos oportebat, & antiquatis imaginibus ad sublimiora evehi cælestium veritatum documenta;

qua

qua cum Œconomia tamen, conveniebat Restitutio sacrorum quorumdam charismatum veteribus Phænomenis veluti similium; quorum restaurationem hucusque ostendimus Johannem respexisse verbis suis: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; quare consequamur tamdem, Baptisma illud quod spondebat Johannes a Christo conferendum, nil fuisse aliud, quam restitutionem donorum prioris Templi, Gloriæ Domini præsertim, ignisque de cælo descendentis, donorum Prophetiæ & miraculorum; inque peracta illarum restauratione rerum, completum fuisse quoque Johannis de Baptismate in Spiritu Sancto & igni Vaticinium: quæ quidem omnia Judaicis cum Traditionibus ac phrasibus, cum opinionibus Judæorum, cum recte intellectis Scripturarum testimoniis, cum adjectis loci, sacrorumque Scriptorum harmonia mirum in modum consonare, hucusque demonstratum est.

F I N I S.

ORATIO

HABITA

IN ATHENÆO FERRARIENSI

DUM

PUBLICI SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS

MUNUS

AUSPICARETUR

ANNO MDCCL.

COgitanti mihi quonam potissimum argumento munus, quo me decorare pro vestra humanitate dignati estis, PATRIÆ PROCERES AMPLISSIMI, more atque instituto Majorum, solemni Oratione, hac die auspicarer, subiit animum legisse non semel quæ Heterodoxorum nonnulli tradendis sanctioribus disciplinis admoti, hac ipsa occasione, sive dum muneris sui auspicia ponerent, in medium protulerunt. Agere illi solent de natura atque indole Theologiæ, ea ratione tamen, ut toti sint in veteri receptaque dudum Protestantium methodo non perfunctorie asserenda, quam equidem, nunc magis quam olim, methodum simplicitatis honesto nomine appellant, aut idoneam circumscriptamque in tradenda Theologia Simplicitatem; perpetuo, nec sine dolore, ingeminantes, Theologos hodiernos ab antiqua Christianæ doctrinæ Simplicitate recessisse. Quid tamen apud eosdem nomine Simplicitatis Theologicæ veniat, haud Vos ignorare arbitror, Auditores. Quoddam videlicet Theologiæ genus obtrudunt ab auctoritate Sanctorum Patrum, Conciliorum, Traditionis, Ecclesiæque prorsus alienum ac liberum, scriptoque tantum Dei Verbo humana ratione percepto & cognito innixum. Studii igitur mei, hoc loco, hac ipsa hora, specimen editurus, nihil rectius facere me posse existimavi, quam si γενικῶς saltem de larvata ejusmodi Simplicitate Theologica dissererem, ostenderemque, nova illa & inauspicata methodo eversum penitus, & eradicatum iri præcipua Christianæ Religionis percipiendæ asserendæ, vindicandæque fundamenta. Locus profecto hic est, nisi omnia me fallant, dignus splendido hoc amplissimorum doctissimorumque Virorum consessu, dignus persona, quam in posterum sustinebo, dignus futuris meis Auditoribus, qui mature

 di-

discent, quibusnam præsidiis, si quidem in Theologia eminere velint, ornati esse debeant. Unum Vos igitur oro obtestorque quotquot huc magno numero confluxistis Viri omnium Ordinum præstantissimi, ut mihi videlicet paucis dicturo attentas aures præbeatis; ego certe dabo operam, ut aliquod, si non virtutis & ingenii, animi saltem in Religionem & Vos mei, hac ipsa ex Oratione, experimentum capiatis.

Itaque de larvata illa Simplicitatis methodo verba facturus, pulchre video, quorumdam saltem testimonia Heterodoxorum, qui nostra memoria præposteram illam divinæ Scientiæ tradendæ propugnare perrexerunt rationem, esse in medium producenda, ne ipsa eorum verba ab oculis & auribus vestris subducentes, injuriam facere, immeritasque Viris illis notas inurere velle videamur. Agite igitur, Auditores, non singulorum quidem, sed præstantiorum inter eos effata mecum percurrite, linguisque & animis, ex veteri formula, favete.

Turrettinus, ille, inquam, Turrettinus, qui Italiam contra Tiberinaque Ostia semper se pugnasse gloriabatur, in Dissertatione de audiendo Christo, postquam Dogmatum in Sacris Tabulis propositorum præstantiam, miramque præceptorum vim & excellentiam proposuisset, ita denique concludit: *Et hæc quidem est doctrina Christi, hæc ejus Theologia. Nullæ barbaræ locutiones: nullæ inutilium Quæstionum tricæ: nihil quod artem, nihil quod Scholam vel minimum sapiat. Quæro igitur, beato illo tempore, quo in terris Christus versabatur, cælestisque Regni mysteria, tanta sapientia in lucem prodebat, ecquæ tunc vera Theologia, imo ecquæ sola fuerit? Nonne illa, imo illa sola, quæ divinis Christi sermonibus atque factis continebatur? Quid ni igitur ea contenti sumus.*

Hinc

Hinc profecto plus Theologiæ, quam ex omnibus Theologorum cum veterum, tum recentiorum Commentariis acciperemus. Enim vero, quod multi dicunt, subjicit Turrettinus, *ad veram Christi doctrinam noscendam, atque a falsis secernendam, alius quidem audiendam Ecclesiam, alius audiendos Romanos Pontifices, alius audienda Concilia, alius audiendos veteres Patres, alius audiendam Traditionem, alius audienda Theologorum Orthodoxorum judicia, notasse sufficiat, illos qui sic statuunt, nodum, quod ajunt, in scirpo quærere, eoque per longas ambages operososque circuitus contendere, quod juxta ipsos situm est; perindeque facere ac illos, qui Socratis disciplinam intellecturi, quæ tum apud Xenophontem, tum in quibusdam Platonis Dialogis, clara satis & expedita est, dicerent legenda ac intelligenda non modo Platonis, & Aristotelis Opera omnia, sed & universas Platonicorum, & Peripateticorum Philosophorum Commentationes, quæ, ut notum est, tanto numero sunt, & multæ quidem tot spinis hirsutæ, ut in iis terendis, ac devorandis ne longissima quidem vita sufficiat. Haud aliter hic se res habet, dum Christi doctrina, plana per se ac facilis, ex immensa Scriptorum sylva ac per mille nodos insolubiles exponenda pronunciatur*. Hactenus Turrettinus; neque dissimili modo de ratione tradendæ Theologiæ differit in Elucubratione eodem de argumento Moshemius, cujus nomini Protestantium nunc chorus solet omnis assurgere, cujusque, uti & aliorum auctoritate & testimoniis Heterodoxorum fultus Zimmermannus, suam illam de sectanda in tradendis sanctioribus disciplinis Simplicitate mox contexuit Dissertationem, in qua eo etiam progreditur, ut quum eorum nonnulli ad Simplicitatem ejusmodi theologicam obtinendam, & ad inanes quæstiones evitandas, opus esse ducerent antiquorum monu-

menta

menta Patrum Sacris cum Codicibus conjungere, ipse ex opposito veri nominis Simplicitatem theologicam vel antiquissimorum lectione Patrum obtineri posse, vix eum sibi persuasurum ait, qui eorum scripta vel molli brachio evolverit; tot enim in illis, opinione sua, deprehendi a Simplicitate theologica abhorrentia dicta, tot interpretationes Literarum Sacrarum contortas, tot obscuras loquutiones, tot denique non bene junctarum discordia semina rerum, ut multi recentiorum Interpretum, licet a temporibus quibus vixerant Christus & Apostoli longiori intervallo absint, propius tamen ad veram theologicam Simplicitatem, se Judice, accedant.

Jam satis, opinor, ex ipsa rerum facie intelligitis Auditores, quale quantumque virus in hoc lateat Systemate, & quam praepo-steram specioso illo Simplicitatis theologicae nomine, intulerint Heterodoxi in Religionis negotio cogitandi libertatem. Non enim ejusmodi methodo agitur de dialecticis gyris atque meandris, non de hypothesibus speciosis magis quam utilibus, de Quaestionibus denique nemini profuturis a Theologia averruncandis; sed agitur, ut audistis, de Theologorum Orthodoxorum judicio, de Sanctorum Patrum sententia & mente, de universae Traditionis, & Conciliorum auctoritate, de Summorum Pontificum effatis, de Catholicae Ecclesiae decretis, per summum facinus, omnino a Theologia removendis. Quodnam autem theologicae Simplicitatis genus hoc est, Auditores? Quodnam portentum & monstrum? Monstrum profecto horrendum, informe, ingens, quo nobilissimae Scientiae distrahuntur partes, evertuntur momenta, fundamenta penitus convelluntur.

Sinite obsecro, Auditores, ut antequam progrediatur Oratio,

de

de larvatæ ejusmodi , quam adeo Adversarii urgent , theologicæ Simplicitatis ortu , fato , & vicibus brevissime dicam , quo quantum a vera tradendæ ediscendæque Theologiæ methodo , eadem alìena fit , hoc ipso nomine , facilius percipiatis .

Neminem latere arbitror , optimates Heterodoxorum duces , qui Seculo XVI. acerbitate quadam naturæ , & temporis iniquitate , rerumque præsentium odio , ac dulci novæ conditionis amore , ab universæ Ecclesiæ moribus recesserunt , Primores , inquam, illos , homines fuisse versutissimos , qui animorum affectus magis , quam ipsa Theologiæ principia calluerunt . Intellexere illi igitur , quocumque raptum iri mortales proposita cogitandi libertate : inæstimabilis enim fuit semper humano generi libertas; quam animorum escam jure diceres , ipsi judicii animam appellabant . Hoc utique illicio rem bene & feliciter geri posse visum est . Verum , quum iidem se tamquam cælo demissos ad hominum superstitionem & licentiam coërcendam magnifice jactarent , eamque nudis oculis , apertisque verbis proponere cogitandi libertatem , periculosæ futurum opus aleæ , remque plenam metu & tumultu animadverterent ; quum præsertim decipi se gaudeant mortales vel dum eorum affectibus blandimur , eaque vitia impensius ament quæ virtutum veluti specie teguntur ; heinc , ne Scyllæ fuga in Charybdim illi incidisse viderentur , honestate nominis turpitudinem rei mitigantes , de Christianæ & Theologicæ doctrinæ Simplicitate prædicanda cogitaverunt , eoque speciosissimo velo scenam illam adeo contexerunt , ut nullo pallio melius Agamemnonem Zeuxis . Fœda reapse barbaries jam diu omnia pervaserat , quæ suavitatem omnem Musarum , artiumque utilitatem excluserat , invectæque in Theologiam erant Disputatiunculæ nonnullæ & litigiosa quædam methodus ,

dus, quæ revera docere videbatur disputare potius quam scire. In densissimas Scholæ tenebras quantulacumque lux inferri credebatur, non poterat non esse jucundissima. Ut igitur prudentis est, molles rerum aditus, & mollissima nosse fandi tempora, ita quum Theologia quoque simpliciorem tunc methodum postulare videretur, hujus obtentu, præclaroque Simplicitatis theologicæ nomine, diu quæsitam frustra cogitandi libertatem invehere se tuto posse speraverunt callidissimi mortalium; vixque ceteri male creduli se demum intelligunt incedere per ignes suppositos cineri doloso, novosque illos homines non a supervacuis & metaphysicis contentionibus, sed a legitima auctoritate liberam Theologiam tradidisse, inauspicatam eidem asseruisse Simplicitatem, veros sanctissimæ Disciplinæ fontes, Patrum nempe, Conciliorum, Pontificum, Traditionis, Ecclesiæ totius judicium, auctoritatem, sensum, interpretationem ab ea, irremeabili errore, ablegasse.

Et sane, qui primum Simplicitatem illam, ut ajebant, theologicam excogitaverunt, non perspicere, præsertim a nostris moniti, non poterant, daturos se mox progeniem vitiosiorem. Itaque, ne in tantum facinus eos jurasse putaremus, libertatem illam cogitandi aliquibus limitibus coërcere studuerunt, qua tamen in re quam frustra ipsi fuerint, & quam nos egregii vates, eventus interpretatus est. Dum enim Orthodoxos irrident, ceu qui perpetuo ad fastos redeunt, virtutemque & veritatem nisi annis non æstimant; dum doctrinam universa ab Ecclesia receptam genus vocant ambiguum prolemque biformem, in qua levissimis pluribus, qui late splendeat unus & alter purpureus assutus sit pannus; dum queruntur nos impares formas atque animos sub juga ahenea sævo mittere cum joco; dum Christianam Simplicitatem, Simplicitatem theo-

theologicam crepare non cessant, eaque veluti encæniantes, plena sibi poscunt munera acerra; en astutiores alios, nec frustra sedulos receptæ doctrinæ amputatores, tempus opportunissimum nactos, novam illam Theologiæ rationem diluculum appellare, quod tu nec tenebras, nec lucem dicere posse videaris; arctiorem iccirco obtendere Simplicitatem, exindeque, velut unda supervenit undam, præcipites in scelestiora ruere judicia, non secus atque feroces equi carceribus emissi, qui, ut jam cursu in spatiis incaluere animi, effrenes se se proripiunt, non habenis coërcendi, non sufflamine remorandi; aut

In segetem veluti cum flamma ruentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit sylvas;

Ita illi, arrepta rursum theologicæ Simplicitatis plusquam Tenedia securi & falce, purificandæ iterum Theologiæ causa, ipsas Christianæ Religionis radices misere circumcidunt, amputant, resecantque, & funditus exscindunt, Sociniani, ut nostis, Catabaptistæ, Arminiani, ceterique Heterodoxi Heterodoxorum, & qui secessionem fecerunt iterum ab illis. Ejusmodi profecto occulti ne dicam, an apertissimi traditæ Religionis hostes, per Deum immortalem vos rogo Auditores! quonam alio obtentu & effato, quonam alio fundamento, quanam cogitandi ratione, quonam differendi genere, quibusnam argumentis & viribus tantam Christiana in Religione stragem, tantum ejus in doctrina excidium edidere, nisi jam invecta illa theologicæ Simplicitatis methodo,

apertaque purioris Theologiæ a Protestantibus semita ? Ampliorem illi quidem ea , qua hi utebantur , inducere satagebant cogitandi libertatem ; quod tamen facile eisdem & feliciter cedere opus erat , quum non de Fidei natura , non de Sacrarum omnium auctoritate Scripturarum , non de Religionis necessitate , non de primis morum effatis atque principiis , ceterisque maximi momenti de veritatibus aperte dubitare se , sed theologica modo de Simplicitate magis quam ceteri sollicitos , accessoria , & ascititia , & quæcumque non ipsa Religio erant , ab iis , quæ essentiam ejus constituunt, aut in ea satis præsidii & firmamenti habent, secernere se adcurate, gloriarentur.

Haud ignorare vero , ut inquiebam , poterant Systematis, quo de agimus, Auctores primi , quo tandem non adeo seros Nepotes, suum falso in nomen ituros , futurum ut perduceret improba illa Siren , fallax nempe theologicæ Simplicitatis imago ; inde tamen referre pedem non sinebant iræ tristes , jactaque semel alea , pudor , & incœpti lex. Itaque non levius modo factum est patientia quicquid corrigere tunc illis erat nefas ; verum latius etiam in dies serpere perrexit , altioresque & perennaturas agere radices , theologicæ Simplicitatis obtentu , effrenis cogitandi in Religionis negotio libertas ; quodque miserius est , apud homines etiam , minime quidem malos , arcani ignaros tamen , quos institutio nempe , & mos , resque angusta domi , & malesuada fames , & turpis egestas , in præposteram adeo methodum impulerunt. Quum enim apud Heterodoxos iidem , ut plurimum , in præsens sint Theologiæ Candidati , qui mox futuri sunt Divini Verbi , ut vocantur , Ministri ; inde est , ut solam illam Theologiæ partem , quæ Vulgus opinione Concionatori necessaria videtur , unam totamque

existi-

existiment Theologiam ; quare Discipulos armare adversus Hæreses illosque Heterodoxos , quos postea in oppidis , vicis & pagis , in quos ad Evangelium prædicandum appellantur , numquam conspicient , perinde esse , in Dissertatione de scopo Doctoris Theologi , ait Samuel Werenfelsius , atque pastores ovium in regionibus , ubi nulli sunt Leones , Pardi , & Crocodili , magno labore docere tamen , qua ratione terribilia ista animalia a gregibus & ovilibus forent abigenda . Heinc iterum laudes , præconia , commendationes , theologicæ Simplicitatis ; hanc unam adversæ partis homines prædicant , celebrant , inque cælum efferunt : hic unus sermo apud Heterodoxos superis Deorum gratus & imis .

Verum , ut a posterioribus impræsentiarum exordiar, mirum, Auditores, quanto in errore versentur Adversarii ! Debet , fateor, sacer Orator æquam loco , æquam auditoribus , æquam personæ, quam gerit , sumere materiam . Haud intelligo tamen , qui vitæ Magister , populi Christiani Rector , & temperator animorum esse possit , qui nullum habet cum scriptis Sanctorum Patrum , & Sacrorum Antistitum commercium : haud video qui possit Divini Verbi minister Quæstionum theologicarum rudis, inque Hæreseon historia , & in ratione percipiendorum exponendorumque Dogmatum peregrinus atque hospes , recte , copiose , cum gravitate & dignitate, de Religione dicere. De quibus enim dicendum ipsi est, Auditores ? De magnitudine Dei , de mirabili illa Mundi molitione , & primorum hominum , tamquam alterius Mundi minoris , tam sollerti , tam stabili , tam adcurata fabricatione ; de eluvione terrarum , & animantium seminibus Noë diligentia & labore servatis , de divinæ Providentiæ in Regno Naturæ & Gratiæ administratione , quæ frequentissime solet

vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos;

De Chriſtianæ Religionis veritate & dignitate, de unius ejuſdemque Naturæ triplici hypoſtaſi ſola proprietate diſtincta, de Chriſti veri Dei Hominiſque morte, de divina humani animi origine, de Chriſtiani hominis officiis, mediiſque curandæ naturæ humanæ a Deo poſitis, de ſalutaribus peccatorum expiationibus, de exſtinctorum reparatione corporum, & formidoloſo omnibus hominibus judicio; de futuræ vitæ præmiis & pœnis, ceteriſque, quibus ita in ſpem erigatur una & percellatur animus, ut profligatis errorum nubibus & vitiis, in illum fontem omnium bonorum inexhauſtum atque perennem, unde profluximus, & cujus beneficio conſervamur, celeri converſione redeamus.

Sed hæc fuerit ἐκβολὴ λόγου, licet non inutilis; neque ea de re plura, præſertim quum locum hunc ornatiſſime de more & egregie adverſus Heterodoxos tractaverit olim Vir præclariſſimus, Petrus Johannes Perpinianus, in Oratione de perfecta Doctoris Chriſtiani forma. Noſtra nunc magis intereſt quærere, Auditores, an Dogmatibus Chriſtianorum omnium probe dignoſcendis percipiendiſque, tum & veritatibus ejuſmodi aſſerendis, enarrandis, propugnandis, aque adverſus Καινοδόξους vindicandis, idonea illa ſit theologicæ Simplicitatis methodus, quæ nullam habere videtur Summorum Antiſtitum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, Theologorum Orthodoxorum, Eccleſiæ rationem. Proh Dei & hominum fidem! In myſteriis Philoſophiæ initiatus dici non poteſt, qui Naturæ mechaniſmum, quo omnia ex partium figura, motu, &

ſitu

ſitu deducuntur, ignorat, aut ſenſibiles qualitates, quatenus in objectis verſantur, vel quatenus ſenſum afficiunt; neque Philoſophiæ operam dediſſe cenſendus eſt, qui de legibus motus, deque iis, quæ meteoris omnibus ortum præbent & incrementum emanationibus corporum minimis, ſive effluviis; de luce & coloribus, de aëris gravitate, preſſione, & elaſtica vi, de Electricitate diſſerere aliqua ratione non poteſt, aut de ceteris ſaltem, quæ receptiſſimis experimentis & geometricis Theorematibus innituntur; inque Philoſophiæ veſtibulo hærere dicetur is, qui juxta celebriorum hypotheſes, Recentiorum conjicere ſaltem non valeat,

Unde tremor terris, qua vi maria alta tumeſcunt
Objcibus ruptis, rurſuſque in ſeipſa reſidant;
Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet;

Theologus vero appellabitur, aut de Dogmatibus, de Diſciplina, Eccleſiaſtico de Regimine diſſerere, imo ſtatuere non erubeſcet, qui ditiſſimum illud Copiæcornu & theſaurum uberrimum Traditionis, unde quæcumque in diſputationem controverſiamque trahuntur, robur ſuum atque firmitatem depromunt, minime poſſedit? Theologus, ſi qua fata ſinant, is erit appellandus, qui veterum Hæreticorum errores, & antiquorum reſponſa Patrum, qui Chriſtianæ doctrinæ ortum & fata, qui Eccleſiæ ritus & conſuetudines, qui denique quicquid ſacra Antiquitas arcani habet, non dicam ſingillatim enarrare atque in digitos referre & definire non poterit, ſed vix, ac ne vix quidem, theologicæ Simplicitatis obtentu,

tentu, à limine salutaverit?

Certe, Auditores, si quæ Patres, quæ Concilia, quæ Pontifices divinitus docuerunt, accessoria tantum, imo supervacua & asciticia sunt, neque ad rationem Theologiæ pertinent, quorsum, obsecro, tot eruditissimæ Patrum Editiones ab Heterodoxis operosissime curatæ? quorsum tot veterum monumentorum Sylloges, tot Quæstiones antiquissimis de Symbolis & Liturgiis ab iisdem institutæ? quorsum iidem suos Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores certant tergeminis tollere honoribus? quorsum Lectiones antiquas edidit Canisius, Adnotationes in Cyprianum Fellus, Dissertationes Cyprianicas & Irenaicas Doduvellus, Ignatianas Usserius? quorsum Divi Ignatii Epistolas strenue adeo vindicavit Pearsonius? quorsum Apostolorum quos vocant Canones illustravit Beveregius, Ecclesiasticas Antiquitates Binghamus? (Quo tamen in scribendi genere, absit verbo invidia, tantum ejusmodi Scriptores impræsentiarum supereminet celeberrimus noster Mamachius, quantum lenta inter viburna caput efferre suum solent proceræ Cupressi.) Quorsum Justinum Martyrem, Augustinum, & Thomam Christianus Nisanius, M. Antonius Reiserus, & Johannes Georgius Dorscheus suas sategerunt sistere ad partes, ipsosque spissis Voluminibus induxerunt Augustanæ Confessionis Assertores & Vindices? Quorsum denique, ut infinita ejusmodi prætermeam, Petrus Martyr, Basnagius, & Pfaffius, edita D. Johannis Chrysostomi ad Cæsarium Epistola, ceu exacto demum pugnæ gymnicæ periculo, aureos se gloriari videbantur tulisse annulos, & insignem meritos coronam? An ne, ut de Polemicis Scriptoribus nonnullis loquar, hospites in Patrum lectione, inque veterum notitia monumentorum erant Sculterus, Claudius, Forbesius, Dallæus, Stil-

ling-

lingfleetus, qui sacram Antiquitatem ingeniose adeo ad se trahere conati sunt, ut

si Pergama dextris
Defendi possent, etiam his defensa fuissent!

Neque tamen latere nos credant nefastæ larvatæque Simplicitatis theologicæ assertores quid querelis nostris regerere ipsi solent. Distinguunt illi sedulo necessaria inter & non necessaria Religionis Capita, prioraque Sacris in Codicibus clare, nitide, apertissime contineri propugnant; non item ea quæ sunt alterius generis. Quin esse se etiam ajunt Veterum de scriptis monumentisque quammaxime sollicitos, non quod eadem ad Theologiam spectent, sed ne, ut inquiunt, alma, licet nolit, testis tamen esse Vetustas, & contra se fidem ipsa facere cogatur; disputationis videlicet adversus nos causa, utque nostro nos gladio petant, & Traditionem a nobis, veluti splendentissimam facem a manu tædiferi cæcutientis eripiant. Nos Catholicæ Antiquitatis observantissimos videri velle, nec esse tamen; inde molestam sibi injici necessitatem evolvendi Veterum Elucubrationes atque Traditionem, ne Catholicam antiquitatem novis hominum doctrinis concessisse videantur: ad Controversias jure tractandas tamen, deque iis recte judicandum, abunde lucis & præsidii in Scripturis esse, inque earum interpretatione ex quadam, ut vocant, Fidei Analogia, omnem sitam esse veræ Theologiæ rationem.

Ast, heu! Auditores, primæ scelerum causæ Mortalibus illis naturam nescire Divini Verbi, quod non scriptum modo, sed etiam traditum fuisse, ipsarum Sacrarum Literarum auctoritate,

judi-

judicio, & teſtimoniis apertiſſime confirmatur. Agnoſcunt illi quidem, imo & confitentur, Chriſtum & Apoſtolos ea longe copioſius viva voce explicuiſſe quæ tam ad fidem, quam ad mores & ad Regimen Eccleſiaſticum ſpectant; copioſius, inquam, quam in Scripturis Sacris hodie reperiantur; perperam ſubjiciunt tamen, copioſiorem illam explicationem, cujus ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura, non eſſe impræſentiarum neceſſariam, abundeque ſufficere ea quæ Literis ſunt comprehenſa. Verum, ſi abunde ſufficiunt ea quæ Literis ſunt comprehenſa, cur, obſecro, Chriſtus & Apoſtoli viva voce longe copioſius ea explicuerunt quæ ad fidem, ad mores, & ad Regimen Eccleſiaſticum pertinebant? Cur Paulus adeo inculcat neceſſitatem eorum quæ ipſe tradiderat, quæque nuſquam ſcripta reperiuntur? Cur ſuis Apoſtoli in Epiſtolis oblata ſolummodo occaſione ὡς ἐν παρόδῳ aliquibus de Dogmatibus pertractant, niſi quod ad homines ſcriberent, qui omnia jam tenerent, orali inſtitutione, tradita & confirmata? Jam vero, Auditores, ſi univerſa, quæ ad Orthodoxæ Religionis fundamenta ſpectant, pinguiori adeo minerva ſunt Sacris in Literis propoſita, ut omnium vel maxime rudium captui accommodata ſint, cur omnes tamen non eadem Dogmata admirantur, amantque, poſcentes vario multum diverſa palato? Cur Proteſtantium filii, Vertumnis veluti iratis nati, in ſexcentas ſententiarum Converſiones & in mille formas abiere? Cur invicem adhuc colliduntur, injucundamque inter ſe alunt perpetua per ſecula litem? Num levia fortaſſe inter ipſos diſſidiorum fundamenta & Capita? Aſſerunt id nonnulli quidem, quos Indifferentes vocant, late nunc effuſi, in re Chriſtiana imprudenter Academici. Verum, cur nullum adhuc Auguſtanorum inter & Genevenſium Eccleſias pacis fœdus, nullus con-

concentus, nulla Sacrorum communio, nulla Fidei contesseratio? cur alii aliorum cœtibus non intersunt, neque secum invicem Sacris operantur, a quo non minus abhorrent, quam si

Serpentes avibus geminentur, tigribus agni?

Cur denique tot se onerare pergunt contumeliis? *In infaustis illis Controversiis, quibus Protestantium Ecclesiæ scinduntur*, inquit Turrettinus, Oratione II. Inaugurali, *quis nescit, alios Nestorianorum, alios Eutychianorum, alios Manichæorum, alios Pelagianorum odiosis titulis notari*? O præclaram Simplicitatem, quæ tot & tam varias multiplicesque sententias, tot dissimilia Dogmata, tot odia, tot lites, tot convicia peperit, & effudit!

Et vero, Auditores, ad Analogiam quidem fidei confugiendum clamant, ad fidei Analogiam. Verum ejusmodi quæ eos una ex hoc naufragio tabula delectat, ejusmodi, inquam, fidei Analogia, bone Deus! quam diversa, imo opposita apud Anglos, Genevenses, atque Germanos; aut ex ejusmodi Analogia fidei quot sententiarum divortia! Divortia sane de modo quo Christi corpus in Eucharisticis Sacris præsens est: divortia de humanæ Christi naturæ sublimitate & dotibus: divortia, ceu de fidei capite, de excelsis illis circa æternam hominum destinationem Mysteriis: divortia de ritibus, & moribus Sacris: divortia de forma Ecclesiastici Regiminis & Hierarchia. Analogia fidei veri eruunt Protestantes, omnem de Christo doctrinam arcano quod condidit Volumine Moses, Librisque Prophetarum manifeste absoluteque fuisse comprehensam: eruunt Analogia fidei, Christum esse Patri ὁμοίουν, Trinitatis Doctrinam, baptizatos fuisse Apostolos, pue-

ros baptizandos: eruunt Analogia fidei non iterandum Baptisma, cœnam, ut ajunt, mulieribus impertiendam, & alia plurima, quæ neque Scripturarum litera, neque sensu, neque mente, neque Analogia comprehendi Catabaptistæ, & Sociniani, qui solummodo Grammaticorum Canones, (nec illos quidem Analogia aut Traditione simpliciores) Scripturarum sensui eruendo idoneos putant, nulla, inquam, ratione comprehendi, vehementissime contendunt. Comicum utique perpetuo agit Clericus, ubi de ejusmodi differit Fidei Analogia; neque alio sane quam theologicæ Simplicitatis obtentu, haud sane alio, quam theologicæ Simplicitatis clypeo, & telo. Hinc Theologicæ ejusmodi Simplicitati tribuendum quod irriti fuerint tot paci sanciundæ labores sive in Colloquio Marpurgensi, sive in Concordia Wittembergica; irriti tot Canones in Dodracena Synodo frustra pertinaci; irrita tot Irenicorum scripta & vota; irritæ tot disputationes in Conventu Sandomiriensi; tot Protestantium certamina & verba, ceteris in Collationibus cum Socinianis, data misere protervis in mare Creticum portare ventis; res quippe illis erat cum aliis Simplicitatis theologicæ Athletis, videre se ajentibus Apostolico in Symbolo phrases quasdam Scripturæ inusitatas, quarum plures in Nicæno, plurimas legere esse in Athanasio; res Protestantibus erat cum adversariis, eos theologicæ Simplicitatis transfugas primum appellare solitis, queri deinde apertissime, perfidum eos dixisse Sacramentum, neque alia de causa Veterum, recepræque auctoritatem doctrinæ labefactasse, nisi ut vacua regnarent in aula, novamque tyrannidem novis Fidei formulis veteri sufficerent. Theologicæ Simplicitatis quidem & Libertatis nomina ab illis prætextum iri, sed neminem alienum servitium aut dominationem sibi con-

concupivisse, ut non eadem illa vocabula usurparet; callide tandem Augustum eos & Tiberium fuisse imitatos, qui retentis priscis Magistratuum sub libera Republica vocabulis, turpi servitio Rempublicam sibi manciparunt, sed non esse se illorum temporum Romanos, qui se falsis ludi sinant imaginibus; aut speciem titulosque magis servitutis, quam rem ipsam exhorrescant.

Utinam vero, Auditores, utinam novi hi Teologicæ Simplicitatis Assertores, philosophica saltem quadam libertate, quæ aliud nihil quam libertas judicandi secundum rationem est, utinam, inquam, Tertulliani Librum de Præscriptionibus, aut aureum Vincentii Lirinensis Commentarium evolverent; intelligerent profecto, quantis larvata illa & præpostera Simplicitas probe oppugnetur argumentis; imo nullus dubito fore, ut Simplicitate præditi mutarent clypeos, & Orthodoxorum sibi insignia, recantatis opprobriis, aptarent; quod olim contigisse memini Francisco Pithœo, cujus fama post fata superstes. Ille siquidem Sirmundo Viro ἱστορικῷ testatus est, eorum se præsertim, dum adhuc Genevæ, & Heidelbergæ moraretur, actum lectione Opusculorum, ad Catholicorum tandem castra transiisse. Simplicitatem, qua de loquimur, theologicam sibi objicit Lirinensis, quam nempe adversus Ecclesiæ Catholicæ Traditionem obtendebant veteres etiam Heterodoxi. *Hic forsitan requirat aliquis*, inquit in Commonitorio, *cum sit perfectus Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas?* Cui quæstioni statim sapientissime regerit: *Quia videlicet Scripturam Sanctam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot il-*

lic sententiæ erui posse videantur ; aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit ; aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius : atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur. Ita profecto est, Auditores. Prædicamus & nos plane sacros divinarum Literarum Codices, nec nobis si linguæ centum essent oraque centum, eorum tamen laudibus celebrandis pares nos fore arbitraremur. Gloriamur nos habere firmiorem propheticum sermonem ; & si Moses a temporibus antiquis habebat in singulis Civitatibus qui eum prædicarent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legebatur ; Catholica in Ecclesia affirmamus Mosem, Prophetas, Evangelistas, Apostolos habere nunc innumeros, qui divina eorum Scripta non cessant nocturna versare manu, versare diurna ; habere qui eos legant, prædicent, enarrent, explicent, interpretentur, Quia tamen altissima eorum Mysteria nisi divina ope & cælesti quodam præsidio consequi datum est, quæque in eisdem ad Religionis fundamenta pertinent, aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illic erui sententias hodieque videamus ; aliter namque ea Augustanus exponit, aliter Genevensis Interpres, aliter toto divisus Orbe Britannus, aliter denique Socinianus ; aliter etiam sexcenti alii explicarent, qui hodieque sane numerum obtinerent junctasque ambone phalanges, si in tanta, & tam fastidiosa nunc Controversiarum satietate & Disputationum nausea, fas adhuc esset Protestantium in Imperio miseris. & nudis animorum Regna, theologi-

gi-

gicæ Simplicitatis obtentu ; novisque Disputationibus sortiri ; inde est , jure Orthodoxos cavere adhuc a tam venefica Simplicitate , veramque solummodo ducere Theologiam illam , quam ex Literis Legalibus , Propheticis , Evangelicis , & Apostolicis , exque totius Ecclesiæ , & Traditionis interpretatione , & sensu integro intemeratoque acceptam , Catholici Patres nobis commendarunt.

Et hæc quidem sunt , Auditores præstantissimi , quæ de larvata , & præpostera theologicæ Simplicitatis methodo , quam Heterodoxi vehementius urgere non cessant , proponenda impræsentiarum constitueram . Reliquum igitur est , ut Orationem ad Vos convertam sacris Aris addicti , sacrisque dicati Musis optimæ spei Adolescentes . Equidem in tam ubere multiplicique dicendorum copia , sed & in tanta etiam temporis angustia , me summa tantum legisse vestigia rerum nullus dubito . Ex paucissimis tamen quæ , tamquam γυμνασιῶδη utcumque delibavimus ; intellexisse vos satis arbitror , quantum a vera tradendæ ediscendæque Theologiæ methodo , aliena sit Protestantium Simplicitas , intellexisse vos etiam arbitror , quodnam vos deceat theologicæ Simplicitatis genus , & quale aversari debeatis . Illud sane vos decet genus , quo profanas vocum inanitates , stultas Quæstiones , pugnas de vocibus , aliaque vana , & inutilia damnetis . Illud vos decet genus , quo ab eorum imitatione caveatis , qui , ut Basilius ajebat , τεχνολογοῦσιν , οὐχὶ θεολογοῦσιν ; eos nempe , qui , ut Prudentii verbis utar,

Fidem minutis dissecant ambagibus ,
Ut quisque lingua est nequior ;
Solvunt ligantque Quæstionum vincula
Per Syllogismos plectiles .

Illud

Illud denique vos decet theologicæ Simplicitatis genus, quod magnus ille vereque Theologus, Divus Gregorius Nazianzenus in Oratione præmonstravit de Moderatione in Disputationibus Theologicis servanda, & in Oratione docuit adversus Eunomianos. Ast æque suspecta, & invisa vobis semper Theologia illa sit, quæ non modo succum, & sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinæ Theologiæ infeliciter amisit; quæ videlicet aut nullam, aut non satis idoneam habere videtur Orthodoxorum Theologorum, Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, auctoritatis denique Ecclesiæ rationem. Ex his ego fontibus hauriam aquas, quibus vestram sitim extinguam, eorumque in sententiis vos ego gnaviter una, & amantissime, duce Thoma Præceptore optimo, instituam, cujus vestigia sequuti sunt qui hoc ipso in Lycæo hanc provinciam ornantes immortale sibi nomen, Ecclesiæ maximum emolumentum, Reique publicæ Literariæ eximium decus pepererunt. Respicite quæso quot quantisque Divi Thomæ doctrinam efferat laudibus BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus,

Quo nihil majus, meliusque terris
Fata donavere, bonique Divi;
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Respicite, inquam, quibus ille Thomam Aquinatem laudibus ornet, & serio cogitate, vix aliud idoneum magis exhibere me vobis posse de præstantia Scholæ nostræ testimonium. Hic videlicet doctissimus Pontifex diffidentium acies Theologorum non in monumentis tantum depictas vidit, aut parma inglorius alba, men-

mentitas lauros, & quos ventus & unda rapit, sine marte triumphos affectavit; sed Theologicæ palæstræ spatia, nunquam sine laude, sine laurea nunquam, decurrens, ad supremum adhuc evectus dignitatis, eruditionis, & sapientiæ fastigium, experti militum ducis adinstar, sæpe per obstantes catervas, per tela, per enses, explicuit sua victor arma, longoque usu didicit

Res gerere, & captos ostendere Civibus hostes.

Aureis nempe, cedroque dignis Elucubrationibus veterum monumenta Patrum, Synodorum decreta, Antecessorum effata illustravit vindicavitque; Apostolicæ dogmata Ecclesiæ, germanamque Theologiæ Simplicitatem summa felicitate promovit: proindeque jure, & merito tot æque ob Volumina ac gesta cetera, quæ nec ignavi furoris ira, nec edax vetustas poterunt unquam abolere, decus, & splendorem se Principi suo, non modo terrarum Dea gentiumque Roma, sed universus Catholicus Orbis debere profitetur. Quot enim exstinxit ille Theologicorum dissidiorum faces? quot errorum tenebras subita serenitate discussit? quot præclaras Academias instituit? quantum decoris Scientiis præstantioribus contulit? quantam ferre opem miseris artibus gestiit? Non certe revirescere solum, sed florere etiam videmus, sub tanto & tot adoreis inclyto Pontifice, Catholicæ imperium Ecclesiæ, cui ipse velut auspicatum sidus elucet, bonorum omnium votis, utinam perpetua, diuturna saltem ætate duraturum!

Vobis autem, PATRIÆ PROCERES SPECTATISSIMI, qui hunc mihi honorem, hanc mihi tradendæ Sacræ Theologiæ

in

in celeberrimo hoc Athenæo ſpartam aſſignare non eſtis dedignati; Vobis, inquam, ceteriſque, qui tanta frequentia faciles mihi dicenti aures commodare pro ſingulariſſima humanitate voluerunt, gratias ago quantum valeo maximas, & immortales.



ORATIO
IN FERRARIENSI ATHENÆO
HABITA
ANNO MDCCLI.

SI quid unquam hac mihi in vita dulce, jucundum, honestum, & decorum fuit, illud hodierna die esse contestor, PATRIÆ PROCERES SPECTATISSIMI, qua Theologicis de disciplinis apud vos verba iterum facturus, discipulorumque meorum erecturus animos, ut eisdem diligentissime incumbant, eo rem necessario mihi deductam video, ut ab illo virtutis genere argumentum dicendi ducam, quod vobis proprium, & peculiare est, quodque unusquisque vestrum suo sibi videtur quodam jure vendicare. Quum enim ceteri idoneam hanc, & theologicis studiis accommodatam esse tempestatem ostendere ex eo satagant, quod Orientalium peritia linguarum, eruditionis amor, & Critica facultas nunquam magis quam hoc Seculo floruerint, quodque tot recensitis veteribus Scriptoribus, tot ornatissimis Sanctorum Patrum editionibus, tanto nunc recentiorum abundemus Theologorum adparatu: ego contra, tametsi ejusmodi omnia theologo Viro utilia, imo etiam necessaria esse minime negaverim, felicioribus auspiciis tamen dari nunc posse sacræ Theologiæ operam, Seculumque hoc theologicis magis accommodatum studiis existimo ob moderatam quandam animi æquitatem, sive ob moderationem illam animi, ad quam, præclaro Dei munere, & singulari nostrorum temporum felicitate, Cordatiorum omnium mentes in præsens conversæ sunt. Ut enim præteritæ ætati haud multum utilitatis contulere tot illa ceterum idonea ad rem theologicam promovendam adminicula, quod maxima Theologorum pars, impotenti partium studio nimium abrepta, modum tenere aliquando non valeret; ita futurum arbitror, ut, pro temperatissimo Seculi nostri genio, moderatione animi, diligenti cum studio, & labore, ceterisque cum præsidiis feliciter

conjuncta, pervius ad solidam sublimioremque Theologiam pateat accessus. Agite igitur Auditores præstantissimi, & dicta mea, quod unum obsecro, placidas demittite in aures; ego enim diligenter dabo operam, ut de moderatione animi theologicis in studiis dicenti mihi ne verbum quidem ullum excidat, quod ab ea minime profectum esse videatur.

Antequam vero moderatum ætatis nostræ genium, ejusque summam in theologicis quæstionibus pertractandis utilitatem refero, sinite obsecro Auditores, ut moderationem, de qua verba facturus sum, paucis circumscribam; non enim imprudentem me de hominibus in Religionis negotio trepidis, & ad Scepticismum proclivioribus vindicandis in præsens cogitare quis velim arbitretur, aut orthodoxam Theologiam angustioribus, quam par est, cohibere velle terminis, aut Cromvvelliana apud nos rediisse regna denique lætari: quod hominis profecto emotæ mentis esset, Superumque, & Fidei pietatis, legum denique omnium contemtoris. Fuit hoc insanum olim Lockii, Tollandi, Collinii consilium; erant ea ad fallendos licentiæ dulcedine animos conficta a Bælio laxamenta; ejusque generis theologica in re moderationem urgent in dies Sociniani, notissimique alii Scriptores, quotidianæ & absolutissimæ Bælii, & Socinianorum simiæ. Itaque dum moderatissimum esse hujus Seculi ingenium, illudque theologicis disciplinis quam maxime aptum dico, mentem, & animum in homines conjicio, nostris saltem, & proximis in regionibus, a partium studio plurimum alienos, & de quæstionibus ad Fidei capita non pertinentibus vix, aut minimum sollicitos; prudentem revolvo de rebus quæ indagari certa ratione nequeunt, & Ecclesiæ Catholicæ decreto minime statutæ, & confirmatæ sunt, judicii ad-

fen

ſenſuſque ſuſpenſionem , aut moderatam cogitandi libertatem ; æquam denique ab injuriis , & neglectu decori in diſputatione averſationem : quæ quidem omnia tametſi unus aut alter in pretio habuerit præteritorum-temporum Theologus , noſtra tamen ſolum memoria ita univerſim recepta , & conſtituta ſunt , ut eorum ope palmam Antiquioribus præripere nos in Theologia poſſe , jure confidimus .

Ut vero a rei exordio auſpicemur , utque (quod in adagio eſt) oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant , operæ pretium reor de Seculis dicere moderationis inopia laborantibus , ad modeſtiſſimum inde noſtrum deſcenſurus , quo illa Theologiæ adverſa , hoc aptiſſimum evincam . Neminem clam eſſe opinor , haud aliam apud mortalium antiquiſſimos Traditionis cura potiorem fuiſſe ſtudiorum rationem , qua videlicet ſapientiæ reliquias a Majoribus acceptas ſancte cuſtodientes , eas rurſus poſteris commendabant ; inductam inde Socraticam veritatis inveſtigandæ methodum , per quæſtiones nempe procedentem ; qua ſtatim obſoleſcente , comparatas fuiſſe a Græcis diſputationes , quorum tamen vitio factum , ut veritas diſputando pene amitteretur . Quum enim eorum alii adfectibus , φιλονεικίᾳ cavillandi ſtudio , pertinaciæ , nimium tribuerent ; alii methodo optima abuterentur , heinc diſputationes , ſophiſticas primum in rixas , aut ineptas in digladiationes , hoſtiles inde in ſectas adeo degeneravere , ut dum odiis , fraudibus , conviciis ſe invicem peterent diſputationes , veritatem potius exitiali vulnere fœdarent . Neque feliciora fuiſſe Oratoriæ artis fata tradidit vetus Auctor Dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ ; eam ſiquidem , malo primum in Urbe nato , mox per Italiam , & in Provincias fuſo , jam tum a vetere gloria adeo deſciviſſe ſcribit ,

ut

ut sui Oratores temporis non pulchre, & ornate quidem, non ad dignitatem rerum, aut ad utilitatem temporum, neque ad persuadendum apte, cum voluptate audientium dicere aliqua de quæstione possent, sed operam darent solum ut Rhetorum in scholis declamarent, fictisque nec ullo pacto ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo, & vocem exercerent. Erat hæc rerum facies, hæc studiorum erat ratio, dum Christiana adolescere cœpit Theologia.

Non is autem ego sum, qui Rivetum, Dallæum, Claudium, Clericum, ceterosque Patrum hostes imitatus, vix aliud horum in scriptis mihi videre videar quam rhetoricos fucos, vestigia amoris atque odii, aut calumniantes adversariorum doctrinæ expositiones. Declamant intemperantissimi illi Critici, & perpetuo declamant, contra declamatorium Patrum stylum, eorumque adversus argumentandi rationem, ceu adfectibus adeo indulsissent Patres, ut opiniones, quas probabant, veluti non tantum vera, sed & maximi momenti dogmata proponerent; quas rejiciebant vero, non quasi hallucinationes humano duntaxat ingenio ignoscendas, sed ut gravissimas hæreses damnarent. Non is, inquam, ego sum, qui audacter adeo illis de Viris pronunciare audeam, quorum opera Deus immortalis usus est Fidei vindicandæ felicissima, quique tot laboribus, & lucubrationibus, aut

Sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo.

Ausa sunt hæc, ut vel Protestantium princeps, Isaacus Casaubonus ad Danielem Heinsium scribebat, ausa, inquam, sunt hæc

hæc temeritatis plena : est hæc lascivia, ut subdebat ille, aut potius impietas omnino detestanda. Unum illud igitur pronuncio, tam præposterum fuisse Seculorum illorum genium, ut Moderatiores quoque pro infelicissima aurium, & mentium illarum conditione, disputandi formam speciemque, & Orationis genus tempori accommodantes, longe a moderatione abesse viderentur. Testem tanti mali Virum habemus magni nominis Hieronymum, hisce in Epistola ad Pammachium sua insidiosas disputandi artes suo receptas tempore pingentem. *Simul dicimus, plura esse videlicet genera dicendi, & inter cetera aliud esse γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς; in priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere; panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem, aperta frons, &, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est. Tu me stantem in prælio, & de vita periclitantem studiosus Magister doceas : noli ex obliquo, & unde non putaris, vulnus infligere, directo percute gladio; turpe tibi est hostem dolis ferire, non viribus? Quasi non hæc ars summa pugnantium sit, alibi minari, alibi percutere. Legite, obsecro vos, Demosthenem, legite Tullium; ac ne forte Rhetores vobis displiceant, quorum artis est verisimilia magis quam vera dicere; legite Platonem, Theophrastum, Xenophontem, Aristotelem, & reliquos, qui de Socratis fonte manantes, diversis cucurrere rivulis. Quid in illis apertum, quid simplex est? quæ verba non sensuum? Qui sensus non victoriæ? Origenes, Methodius, Eusebius, Apollinaris, multis versuum millibus scribunt adversus Celsum, & Porphyrium; considerate quibus argumentis, & quam lubricis problematibus, diaboli spiritu contexta subvertant; & quia interdum coguntur loqui non quod*

sen-

sentiunt , sed quod necesse est , dicunt adversus ea quæ dicunt Gentiles . Taceo de Latinis Scriptoribus Tertulliano , Cypriano , Minutio , Victorino , Lactantio , Hilario , ne non tam me defendisse , quam alios videar accusasse . Quæ quum ita fuerint , quis vestrum non statim intelligit , Auditores , illorum ingenium temporum ; quam præpostera iccirco olim fuerit , apud minorum Gentium theologos , sacras disciplinas pertractandi ratio , quum Patribus ipsis impervium adeo fuit contra fluminis impetum niti , & cum suo depugnare Seculo ; neque ipsis presse , & proprie semper disputare concessum est ?

Et vitium illud quidem magnis emendare conatibus studuere Gregorii Nazianzenus , & Nyssenus , Isidorus Pelusiota , & ante illos Clemens Alexandrinus , qui Socraticam potius methodum , qua ingenia mitescerent , revocandam , sacrasque inducendam in disciplinas prudenti consilio cogitabat . Ast in turbulenta illa turba profundiores egerat radices malum , quam quo a paucioribus evelli potuisset . Itaque Ecclesiastici Scriptores , occasione temporum , locorum , & personarum sæpenumero adducti , vel Orationis aliquando impetu rapti , pro receptissimo illius ætatis Rhetorum stylo , in Homiliis quoque liberiores esse cogebantur ; quare Vir maximus Petavius , eisdem licet addictissimus , in animadversionibus tamen ad Epiphanium suis , ubi hic loquitur de Novatianis , *multa sunt* , scripsit , *a sanctissimis Patribus , præsertimque a Chrysostomo , in Homiliis aspersa , quæ si ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris , boni sensus inania videbuntur . Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem , exaggerandi causa , & subito quodam impetu dicendi , & calore feruntur plerumque licentius ; unde & aliorum comparatione locorum , vel Concilio-*

rum

rum potius, temperanda, & in gyrum veritatis revocanda sunt. Res scilicet frequentissime erat Patribus adversus Christianæ Religionis hostes Ethnicos atque Heterodoxos nisi Sophistarum armis manus nunquam conferere paratos; res illis erat cum populorum auribus fucata Rhetorum eloquentia corruptis, quas ad gravis, & pudicæ Orationis sensum quisnam revocare statim potuisset?

Dies vero me deficeret, Auditores, si pejora quæ Hieronymianam tempestatem excepere Secula, quantamque intulerit Theologiæ labem demens, & funestum illud contendendi studium vel obiter evolverem. Non Macedoniani heic aut Nestoriani, non Eutychiani aut Monothelitici enumerabo Sectas Seculi ab incœpti lege, & moderationis inopia in disputationibus profectas. Quanta usos fuisse theologicis in rebus æquitate eos arbitramini, qui implicatissimas quæstiones dolo tunc, & fraude excogitabant, qui eas græca fide pertractabant, deque eisdem ira, & furore potius quam verbis, & sententiis statuebant? quare orta tot adeo certamina, & dissidia, tot actæ in Ecclesia turbæ, ut earum de impetu utcumque perfringendo cogitare cogerentur qui moderationem animi discere a Theologis potius quam eos coërcere debuissent: heinc non suis aliquando cincta armis veritas, aliquando etiam protectus error immitibus Dominantium decretis, non tam insitæ illorum superbiæ, quam immoderato partium studio, & temporum iniquitati tribuendis.

Et mutabantur quidem Seculis quæstionum, & dissensionum argumenta, & capita, non mutabatur tamen, augebatur imo in dies pessimus dissentiendi, & infinitum disputandi genius. Iconoclasticæ certe, Photianæ, atque Sacerdotium inter, & Imperium controversiæ militari potius quam literario stylo a Theologis actæ

ſunt. Omitto luctuoſam rerum faciem, dum barbaris Gentibus Romano nomini veluti quadam eluvione ſuperfuſis omnia Muſarum hoſtes occuparent. Diuturna Schiſmata omitto, & infeliciſſima illa tempora, quæ ſterilitate boni, aſpera, & ferrea; malique deformitate exundantis, plumbea; Scriptorum denique inopia, appellari obſcura conſueverunt. Hæccine Theologiæ aut tradendæ, aut diſcendæ apta vobis videri poſſunt Auditores?

Neque tamen eam Eccleſia prorſus exceſſiſſe arbitremini; in Monaſteria ſiquidem, tanquam in domicilium, & arcem, aſylumque, & portum, quum ſe ipſa recepiſſet, (inter quæ toto Orbe celeberrimum fuiſſe noſtis Pomposianum veſtrum Ferrarienſes) moderate aliquando egit, donec ab illo otio atque umbra in Academiarum ſtrepitum, & pulverem deducta, modeſtiæque cancellos rurſus prætergreſſa, non neceſſariis quæſtionibus, & diſſidiis iterum pollueretur. Duos tunc ſane fata Orbi non inviderunt eximios Viros, Petrum ſcilicet Lombardum, noſtrumque Thomam, qui, quantum ratio temporis pati poterat, derivatas ex Arabicis lacunis invectaſque in Theologiam diſputationum ſordes, & longa litium ſufflamina recidere aut ſaltem contrahere enixi ſunt. Illud eiſdem tamen evenit, quod Juſtiniano olim Cæſari a veterum placitis Juriſconſultorum inutilia, & ſupervacua nequicquam abſcindenti; ea quippe ratione, qua dum Juſtinianum ipſum infiniti Commentatores, ut ajunt, Gloſſatoreſque interpretantur, concertationes revocant antiquatis acerbiores, diſcordeſque adeo in ſententias ruunt, ut Inſtitutionum Libros novis potius diſſidiis initium, quam antiquis contentionibus finem dediſſe doleamus: ita, dum confertiſſimus Interpretum numerus (haud minori æſtu atque Orientales Barlaamitæ tunc, & Palamitæ in diſceptationibus Thabo-

bo-

boritico de lumine) de Magistri sententiarum, & Praeceptoris nostri mente nimio plus disputat, diversas illi primum abeunt in partes, animum inde dictis adeo incendunt, ut ex ludicra illa, & inani pugna serio aliquando exacerbarentur; ceterum in eo perfectissime convenientes, ut omnia quaterent honestae etiam libertatis cogitandi fundamenta; quod quum satis praestitisse se non dubitarent, elati, tumidique novo praecordia regno ibant, & ingenti se se clamore ferebant: quum ecce bellum ingens atrox tandem ex male compositis per intervalla motibus erumpens; novam nempe opinionum colluviem, Heterodoxosque nulla re magis quam odio validos, absque pudore, & cum flagitio differentes, contumeliis, vituperandisque reprehensionibus, contumacibus precibus, & pertinaci licentia adeo furentes, ut Theologi nostri inter Scholasticorum greges educati, & adiaphoris a quaestionibus in polemicas improviso rapti, medio flagrante tumultu, paribus fere armis populum antiqua sub Religione tueri cogerentur. Non igitur tunc modo

Factum est in terris quidquid discordia jussit;

sed ita etiam theologicis de concertationibus scriptum undique, & disputatum est, ut Hugo Grotius, sui indignatus virulentiam temporis, Scholasticorum secula, ceu moderatiora, sibi cupere non erubesceret. Quantam autem cum theologicae, tum Ecclesiasticae etiam rei injecerit cunctationem, & moram impotens illud sive partium, sive de non necessariis acriter contendendi Nostrorum studium, ex eo percipite Auditores, quod cum facile ab Orthodoxis (dum animis discordibus, & opinionibns inter se dis-

 siden-

ſidentibus colliduntur franguntur que Adverſarii) ab Orthodoxis, inquam, in id unum coëuntibus debellatum facile fuiſſet, pedem victor tamen nulla cum laude repreſſit, novis bellis noviſque ortis partubus in ipſo ſecuræ Matris gremio, novis nempe pertinaciſſimiſque inſtitutis Diſputationibus, quibus Theologi ſtylum acuerunt, quo graves Heterodoxi melius periiſſent. Enumerare non vacat domeſtica odia, ſuſpiciones, aſſiduas querelas, ſiniſtriora aliter de ſentientibus judicia, quibus integro elapſo Seculo pugnatum eſt. Illud unum in tanta calamitate inter feliciſſima recenſeri poteſt, quod effuſa, & exhalata prorſus, nimiæque, & diuturnioris pugnæ laſſitudine, exhauſta omni animorum ira, vergentibus demum fatis, quaſi poſt fœdam tempeſtatem ſumma in mari quies, tranquillus veritatis amor inſperato ſubiit, Seculique cum genio ipſa Mortalium ingenia mutata eſſe videantur.

Itaque jam novus fulget rerum ordo, facies jam nova cernitur Theologiæ ſuum ſibi vindicantis decus.

Aëriam cælo nam Jupiter Irim
Demiſit.

Mutari nempe Seculis animorum genios, utque rebus cunctis, ita ingeniorum licentiæ ineſſe quendam orbem jam diu a curioſius indagantibus animadverſum eſt, ut quemadmodum temporum vices, ita Studiorum etiam vertantur; amota namque affectata virtutis, & probitatis ſimulatione, quam Religio, & ratio juſtiſſime damnant, imaginari licet, novam aliquam cæli conſtitutionem, nova ſtudia, novos mores non obſiſtentibus animis ingenerare, & veluti ſigillo quodam in voluntaria cera imaginem

im-

imprimere habitus illius, quem astra patiuntur: cui suppetias tulisse tamen in id nunc collineantem cum Studiorum, tum etiam prudentissimam pene omnium agendi rationem nullo pacto dubitandum est. Non enim modo quæstionum invidia tempore mitigata, verum etiam inducta, & propagata prudenti, & moderata cogitandi libertate; ditata quoque tot elegantissimis exterorum Scriptis Sapientum Gallia, & Italia; conclamata, publicoque derelicta odio inquietæ sapientiæ, & factiosorum hominum audacia; honoribus, Sacerdotiis, & eorum opibus, Generis splendori tantum aut lectissimæ virtuti prudentissime asservatis; Pontificibus demum æquissime, & provide supervacuas quæstiones de more definire recusantibus, feliciter factum est: ut dedidiscere omnes cœperint rumores ponere ante salutem, moderatisque omnes uti cœperint consiliis, judicium aliquando sustinere suum, & quietas cogitationes callidis, & periculosis anteferre; & adeo quidem anteferre, ut ætas hæc nostra, prudentiæ, æquitatis, & moderationis Seculum appellari jure mereatur.

Prætereo nunc, Auditores, præstantissimas tot nostras exterasque Academias, quibus modus est pulcherrima virtus; prætereo egregios tot, qui aut Legibus, aut Historiæ sive Civili, sive Literariæ, aut Philologiæ, ceterisque amœnioribus litant Musis, egregios tot, inquam, æque tamen irasci nescios Scriptores, summumque retinentes (quod vix fieri posse olim credebatur) ex sapientia modum; illam iccirco, qua de agimus, felicitatem Seculi constituentes; quos tamen ea solum de causa prætereo in præsens, ut theologicam ad Moderationem statim & propius accedam. Quid igitur aptum magis, quid præstantius, quid optabilius, quam Philosophiam cernere (qualem vero, si cum umbra Veterum confer-

tur!

tur !) ipſam quoque modeſtia quam maxime decoram , non ſuos prætergreſſam fines , non Theologorum animos ad iniqua partium ſtudia ſollicitantem ? Stoicum , Platonicum , & dialecticum Chriſtianiſmum ſuo jam prolatum tempore querebatur Tertullianus. Varia inde fuit Catholicis in Scholis , ut Launojus oſtendit , varia fuit in theologicis Scholis Proteſtantium , ut patet ex Diatribis Elſvichii , Ariſtotelis fortuna , quod Carteſianiſmus olim , nuperque Wolfianiſmus illos ad honores obrepere auderent ; quare ſuis de Heterodoxis adeo queritur , in Elementis Hiſtoriæ Philoſophicæ Heineccius; infauſtis tamen adeo ſucceſſibus , ut Inſtitutiones theoogico-polemicas ſcientifico concinnatas ordine mox ſpiſſis voluminibus Tiguri ediderit Johannes Fridericus Stapferus, nil aliud quam Carteſianum Chriſtianiſmum redolentes . Secus nunc apud nos tamen , Auditores ; ſecus apud Reſtitutores primos Orthodoxæ & purioris Theologiæ , quos melior Deus adſpexit , quive curva adverſus Secula recti iverunt , & , immota Orthodoxa Fide , Theologiæ formam mutari poſſe credidere. Legite Canum & Petavium; evolvite , ſi fas eſt , Launojum , Chriſtianum Lupum , Natalem Alexandrum , Thomaſinum , Papebrochium , Harduinum , Noriſium , præſtantiſſimos alios Orthodoxos Scriptores, qui ſecernentes ſacra profanis, divinaſque Literas, Apoſtolicas Traditiones, & auctoritatem Catholicæ Eccleſiæ ab iis , quæ ab intruſa in Theologiam Philoſophia , perperam orta & alta eſſe dolebamus , feliciſſime ſejungentes , nova incude diffinxerunt in veteres recentioreſque Heterodoxos ferrum ; ea ratione tamen , ut ſicuti in iis , quæ certa , tradita , conſtituta , & decreta ſunt , mirum in modum animos hominum confirmarunt ; ita de iis , quæ ejuſmodi non erant , temperatam , & intra Catholici Juris ſitam limites , induxerunt cogitandi libertatem . Uti-

Utinam vero omnes Viri ejusmodi præclarissimi moderatum dicendi genus severioribus cum quæstionibus perpetuo conjunxissent, nullamque tot stellis nebulam sparsissent, nullum ferventioris animositatis vestigium in lucubrationibus suis reliquissent; eos sane non minus ac Espencæos atque Sirmundos, ad evitandam omnem in disceptationibus theologicis acerbitatem, nobis in exemplum hodie proponeremus; quod utique mirum minime esse debet hoc tempore, Auditores, quo colitur quisque maxime, ut quisque maxime lenioribus virtutibus ornatus est. Postulat enim id, ubique nunc vigens, ut Gallico utar idiotismo, bonus sensus; id hodierna postulat artium, legum, morum, & cultus elegantia; id civilis postulat prudentia, dum scilicet animadvertimus, Theologos nonnullos olim aggressores, nunc esse ad incitas redactos; id postulat rarius nostrum Hispanis cum Theologis, frequentius contra æquioribus cum Germanis, & cum Gallis humanioribus commercium; id denique postulat receptum apud omnes bene audiendi desiderium, ex infelicissima illorum conditione, qui non valentes quondam nisi magnis clarescere inimicitiis, ea via ad mortalitatem sui pervenere; quare fit, ut hostibus carere cupiamus, paullumque nonnumquam nostro decedere de jure, non modo liberale, sed fructuosum etiam esse fateamur.

Neque enim heic vestrum aliquem in medium producturum vereor Theologos nonnullos nunc etiam quietis hostes, tumultumque excitare satagentes: quos vix tamen obj ci nobis posse crediderim, Auditores. Si qui enim forent Theologi ejusmodi, rari certe nantes in gurgite vasto, ignotique ipsa ex fama, iidem profecto ingratis offerrent se irrisi periclis, fabulas surdis canerent, ventosque & auras vociferatione sua nequicquam provocarent; aut

fatur-

saturnalia eorum essent, dierum videlicet aliquorum, regna, parumque firma eorum lux, & veluti in aëre caducæ stellæ. Quare quam aliena imo ab immoderato sit partium studio hæc ætas quisque inde evidentius cognosceret; non enim ex unius aut alterius ingenio & moribus, Seculi genius æstimandus est, sed ex recepta apud omnes sententia, & ratione cogitandi.

Et sane, conferte Auditores præterita cum hodierno tempora, quibus bellatorio quodam stylo, litibusque & dissidiis de re theologica agebatur, quibusque magnos Italia quidem ferebat Viros *sed*, ut verbis utar Lipsii ad Everardum Pollionem scribentis, *sepositos aut subductos, &, ut prompti essent, vix per illa discrimina adeundos*; illa conferte, inquam, cum hodierno tempora: quam diversa & dissimilia, imo quam præteritis opposita in præsens sunt lata vel a plebe theologica, ne dicam a Patribus judicia! Quotus enim quisque nunc eorum est, qui in divinorum Naturæ operum indagatione, eorum notitiam sacris ex Paginis curiosius eruendam esse tueatur? quotusquisque eorumdem est, qui philosophica systemata intemperanti, ut ab imperitioribus fiebat olim, censura configat & damnet? quisnam Hæreseon, aut Hæreticorum Syllabum amplificare nunc studet? quod ne quis privata audeat simultate, aut imaginetur quidem, Pontifices maximi mox severitate humanissima caverunt. Conferte illa tempora, quibus Theologi alicujus non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas; illa, inquam, conferte præsenti cum ætate, suum unicuique vere tribuente, & qua, sicuti fieri non potest, Regum aliquem, Principem omnium, vel potius solum Regem esse, ita nec Theologorum aliquem omnibus præstare: in utrisque videlicet æqualitate veluti inducta. Cur enim Theologorum aliquis

quis, aut etiam Cœtus indocilis eam pati, (inquiunt nunc Rudiores quoque) omnes pro imperio sibi regendos, omniaque pro arbitrio illa in Ecclesia sibi decernenda esse constitueret, in qua Hierarchiæ salus, sacrorumque auctoritas Antistitum esse suprema Lex debet? Conferte, si placet, cum Varillasiis & Memburgiis Fleurium & Orsium, antiquis cum Polemicis Bossuetium, Bacchinium, & Gottium, quem in posteriori Operum suorum adversus Picininum Heterodoxum editione ablatam ἐπιχαιρεκακίαν omnem, deletaque voluisse nostis omnia dicteria, quæ in priori eisdem fuerant aliena manu perperam inserta, ceu Orthodoxo calamo, Seculi genio, suæque placidæ naturæ omnino repugnantia; hodiernam denique, in doctorum hominum frequentia, disputationum modestiam vetere cum licentia iisdem in Cœtibus conferte; indeque colligite, quantam receptæ hisce temporibus prudentia, humanitas, æquitas, moderatio Catholicæ Ecclesiæ adtulerint utilitatem. Virtutes hæ profecto sanctissimæ eidem Matri Thomasios, Bossuetios, Blanchinios, Bacchinios, Averanios, tot Maurini Cœtus egregios Sanctorum Patrum Editores, Passioneos, Bottarios, Bartolos, Mazzochios, (sique aliquando per domesticas datur ire laudes) Lequienium, Minorellium, Orsium, Bernardum de Rubeis, Moneliam, & Mamachium peperere. Virtutibus ejusmodi Huetius, Pagius, Combefisius, Mabillonius, Monfauconus, Ciampinus, Fenellonus, Tillemontius felicissima Seculi semina jecere. Virtutibus ejusmodi elaboratissimus de Moderatione ingeniorum in Religionis negotio Commentarius ad umbilicum a Muratorio perductus. Virtutibus denique ejusmodi, tot Protestantium filii ad conjunctionem cum Ecclesia Catholica illecti; a qua qui sunt adhuc segreges, moderationis tamen, & modestiæ

imaginem, & umbram in disputationibus affectant; unum aut alterum si excipias, Clericum puta, Bosobrium, & Barbeyracum, qui quum celebrari, & ad astra a suis tolli nosset notas illas Calvini, Thuani, & Casauboni Præfationes, ut ipse quoque aliquid belli in Præfatione diceret ad interpretationem suam Puffendorfii, Sanctos Ecclesiæ Patres, æque ac Clericus, & Bosobrius, impotenti ira vituperavit atque contempsit; eo tamen, mihi credite, effectu, ut aliud nil illi denique potuerint, quam odium, & aversationem vel a suismet Protestantibus subire.

Quod si moderationem hac ætate ostentant exagitati adeo Heterodoxi, sique modesti illi in præsentia videntur, qui Fidei capita pro ingenii licentia, & libertate arbitrii definiunt, potiore jure Saturnia apud nos rediisse regna debuere, apud nos, inquam, quibus omnia ex sententia succedunt, & apud quos unus juris, Religionis, & omnium Sacrorum Rex est. Qualis autem nunc Sacrorum Rex, Auditores? Ille certe, qui duras hominum deflectere mentes pacifico sermone solet; ille, qui non intermissa lenitate animos placidissime regit, & pectora mulcet; ille, cujus animi testes ii non modo sunt, quibus benignitatis plenos generoso in pectore vultus intueri licuit; verum & vulgatissimæ ubique Quæstiones Augustanæ, Cremenses, Veronenses, Cenomanenses, Hispanæ, tot aliæ graviores, statim facile, faciliter, prudentissimeque ab ipso compositæ, quæ aliis fuissent Seculis non sine rumoribus, & invidia agitatæ. Quid autem mirum magis, quam tantum Pontificem, tam avito, & illustri Sanguine decorum, tot Voluminum Scriptorem, tot rerum gestarum magnitudine inclytum, tot ditionum, & urbium, & hominum potentem, tot sententiarum theologicarum sine consiliorum adjutore æquum Judicem.

cem, Theologos tamen omnes æquitatē; moderationē, humanitateque superare? Leget ipse scripta de se carmina, & hujusce Historias temporis, in quibus virtutes suas,

quas nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube Vetustas,

descriptas conspiciet; at quum auctum confirmatumquē noverint abs se modestissimum Seculi ingenium, tunc etiam noverit, se tot jam annis famæ non modo superesse suæ, sed suæ quoque se jamdiu interesse Posteritati.

Hæc vero quum ita sint, quis idoneam, aptissimam imo; Theologicis disciplinis tradendis edifcendisque hanc esse dubitet tempestatem, qua desueta, & inauspicata est ἀδολεσχία, cum temporum conditione, & diversitate aurium species Orationis, & genera dicendi, differendique formæ feliciter mutatæ sunt? Certe adfirmare audeo, nunquam tam commodam tamque secundam se in manus nobis dedisse occasionem, albosque dies horasque serenas nunquam adeo ut in præsentia effulsisse; quare agite Adolescentes, faustoque huc pede tendite,

Sedes ubi fata quietas
Ostendunt.

Theologiæ scilicet totis viribus incumbite, ad quam Vos moderata nunc studiorum ratio, moderati Reges, moderatæ Leges, moderata hominum judicia, ipsa vera virtus moderata, morum receptissima suavitas, remissa partium studia, placidus virtutis

 vul-

vultus, & verecundæ consilia sapientiæ humanissime alliciunt? Quin & gaudia concepturos vos reor, & immortali Numini gratias acturos habiturosque quam maximas nullus dubito, quod vos theologicis de studiis adeo sollicitos ad hæc adeo tranquilla tempora reservaverit, præsertim dum memineritis, Italos vos esse, mortalium videlicet docilissimos, & a pertinaci animo quam maxime alienos; dumque memineritis, vos Sancti Thomæ Præceptorum omnium modestissimi pacatissimam sequi doctrinam, qua qui dissensionibus serendis continuandisque abusi sunt, næ illi dulcissimo ex melle fel amarissimum confecere; dum etiam memineritis, hodiernam infelicem Orientalis Ecclesiæ conditionem, debitam esse fraudi, & theologicis dissensionibus Græcorum pœnam: quorum quæ olim amentia, Auditores! Erat hostis in latere, & tantum non ad portas Annibal: ipsi autem intra muros litigabant!

Non tali auxilio nec Defensoribus illis

Tam dubium profecto egebat tempus. Ut enim quondam pene occupatam seditionibus delevit Urbem Dacus, & Æthiops; utque, quod dissidio, & æmulatione in se magis Nostri quam in hostem versi essent, tot triumphis indeptam, retentamque vix nonaginta paullo minus annos Syriam, & ipsa Hierosolyma amisere: ita opprimi eos oportebat, qui ignorabant, Moderationem rectæ suadæ medullam esse, veræque sapientiæ altricem, alumnam, & comitem; rem vero nullam violentis consiliis ad felicitatis, & gloriæ statum pervenire posse; dum denique memineritis, tum maxime animum apud nos erexisse illos qui ab effreni libertate nomen habue-

habuerunt plurimos Scriptores, quum horrida illi, nullosque habitura triumphos, Theologorum bella prætexerunt.

Sane, dum Seculi modestiam theologicis studiis accommodatam dico, Adolescentes, animus mihi non est, nobilem illam a vobis averruncare æmulationem, qua præstantiores summosque Theologos imitari, sique etiam datur, superare studeatis. Quid enim in hac rerum universitate pulcherrima, vel efficitur sine imitatione, vel sine sapienti quadam æmulatione perficitur? Illud, inquam, de me fugite suspicari, Adolescentes; neque enim id postulant aut sinunt ingeniosi mores Seculi, neque id animi vestri paterentur, non desides aut inertia diffluentes, non supini aut ad ima curvi, sed præclari, sublimes, & summa quæque, & ardua suspicientes. Verum, aliud est virtutis imitatio, & optima æmulari, aliud vero patriæ validas in viscera vertere vires, sive theologica alere, & continuare odia, & dissidia, a quibus jure, & merito ætas hæc nostra quam maxime abhorret. Abuti me tamen patientia vestra intelligo, PATRIÆ PROCERES PRÆSTANTISSIMI; quare dicendi finem faciam, ne, dum moderationis inopiam criminor, ejusdem me jure postuletis; etiamsi susceptum a me munus adeo peregisse nondum scio, ut inchoasse tantum, & velut dicendarum vestigia quædam, & lineamenta rerum ostendisse Oratio videatur.

F I N I S.

49

	ERRATA	CORRIGE
pag. 13. lin. 1.	מלעם	מדעם
lin. 2.	בנורא בנורא	בנורא העברון בנורא
48. lin. 15.	ונהירא	ונהורא
51. lin. 9.	אכל	אבל
61. lin. 10.	וירולם	וירושלם
65 lin. 16.	בהן	כהן
68 lin. 3.	אלע	אלו
ibid.	שיחשוב	שיהשוב
120. lin. 26.	אח	את
142. lin. 13.	עכן	ענן

